…laus

…exercitum dux

Małski Andreae: Laureum Stanislaeum et aureum Lauretum.

LAVREVM
STANISLAETVM
ET
AVREVM
LAVRETVM

Seu, ab

ILLVSTRISSIMO DOMINO

STANISLAO

ZOŁKIEWSKI

Cancellario Regni, & Exercituum Duce Supremo, Baren: Iauorouień: Kamionac: Capitaneo.

BASILICA

SANCTORVM


STANISLAI & LAVRENTII

MARTYRVM

ZOŁKIEVIÆ

Erecta, Extructa, Fundata. *i*

Et Regno, & Generi, Zołkieui Magne. Tuorum.
Æternam viuens, famam morienſq; dediſti.



Zołkieuii ad Soleam, Sueci, Turcuſq;, Getheſq;,
Et Moſchouitæ, ſuppoſuêre caput.
Quid, quòd ad occaſum Cæſar, cum Cæſare ad ortum.
Zołkieuium, in Lechis ſenſerat eſſe Virum.
Zołkieuii Pietas, & Mars, noſcêre per æuum:
Vult non vulgarem Crux geminata Ducem.

JLLVSTRISSIMIS HEROIBVS.

Illuſtriſſimo Domino, Domino IACOBO A SOBIESZYN SOBIESKI

Palatino Bełzenſi, Kraſnoſt: Iawor: Capit:

Et eiuſdem Coniugi JLLVSTRISSIMÆ DOMINÆ

D. THEOPHILÆ

In ZOLKIEW

Palat: Bełzen: Kraſno: Iawor: Capitaneæ
In Złoczow & Zołkiew Hæredibus.
DD. & Patronis Colendiſsimis.

IN *Auitum* Lauri nemus, *Ampliſſimas inter Hæreditates veſtras, deprehensum, (verbo) in Laureum Staniſlaetum, lauro & auro opulentum, ne dùm Aureolis viſendum, & Laureolis, veluti Elyſium Campum quendam, digitum (quod aiunt) ſcriptorium intendo Vobis Illuſtriſſimi Heróès, & Coniuges. Equidem, veſtrûm fuerit, Lauretum hocce veſtrâ in hæreditariâ Vrbe relaxandi animi cauſâ reuiſere. Sed quid ita? Argusne ego acutum præ aliis cernens? an Apelles mihi ipſi pingendi, aut Liſippus fingendi Zołkiewianos in Lauro, intra Lauretum hocce, vultus; An Theſeus eſſe ambiam? ducturus intrò Laureandorum Par Veſtrorum Filiorum* Marcum, & Ioannem, *Veſtri, et Zołkiewii ſimillimos Aquilæ Polonæ pullos, Palatinidas Belzenſes? Horum nihil mihi arrogo officiorum. Patere nihilominùs volo Lauretum Zołkiewianum. At cui?* Integritati, Sapientiæ, Martyrio, Imperatorum triumpho. *Date Heroicos viſendo iſti Laureto animos, et oculos, Illuſtriſſimi Heróès. Enimvèro et Tibi ô* Palatine Belzenſis, *Virtus, Sapientia, Religio Catholica, Patria, Reſq; iſta publica Polona debet Laureas, vel ob Oſmanum Turcarum Tyrannum, ab Chocimo; vel ob Guſtauum Succiæ perduellem, ab Mariæburgo depulſum, Mercurialis & Martialis caducei Tui flexanimâ prærogatiuâ. Excipe verò Belzenſis Palatinus, Kiowienſem; Agamemnonem Exercituũ Regni Ducẽ, ô Neſtor Togate, & Sagate Poloniæ. Cancellarium habe, votis vniuerſæ patriæ, ipſe, iſto honeſtamento digniſſime. O æmulam tuam interea*

terea

rea virtutem, vindicandam æternum Catonis illo elogio, honorificentiùs quæsituros posteros; Cur non Catoni honor Catonianus delatus quispiam sit? Capitaneus deniq; Capitaneum accepta. Vtrâq; Heros es. Sed Iliadem quispiam in nucē compegerit: ego nè in Clypeū Gentilitium Tuos Illustrissime Palatine in Republicâ Mauortios, et Mercuriales Trismegisticos labores spoponderim redigendos. Lapsa ancilia cælo, Romæ seruata ad Reipublicæ salutem: & Vestrum genus, Palladium censetur esse Poloniæ. Troiani Clypei non enarrabile textum Cyclopes formauerint: Sobiesciani Clypei cælaturā fama in Historiis Polonorum immortalitati commendabit. Perlegere oculis erit Marcum Sobieski Palatinum Lublineñ cum Stephano Bathoreo Moschos contrà, & Gedanenses, belligerantem. Sebastianum Sobieski Regni Vexilliferum, rei militaris miraculum, Antonomasticos, audientem. Et Te Illustriss: Iacobe Sobieski Palatinum Belzens: Virtus & Fama loquetur, Hispaniæ amplissima Regna pietatis & sapientiæ Catholicæ ergò peragrantē: contra Schismaticos Moschouitas, Te Aurei vexilli aureū Magistrum Equitum, Aurei Velleris centurias ductantem: Ab Dnestri littore à Sarmatiâ Poloniæ per Danubium, in Turciæ oram Osmano Imperatori admirabilis Nestoreâ eloquii Suadâ regressum persuadentem: Fœderati Militis Chocinensis machinationes, priusquàm in Gordium nodum coiret, dissoluentem: Tartareo Scytharum Machometismo scintillanti, ad Martinowum, & ad Gorczyczány, occursantem: cum hydris Kozakorum, multorum belluis capitum, pro Ecclesiæ & Regis maiestate, ad Cibelnikum, & Niedzwiedzie Lozy, (Vrsorum latibula) decertantem: contra Hæresim Suecorum, in Gustauo Prussiæ inuasore, ad Czczowum, & ad Mariæburgum, opprimendam, dimicantem: &, nè bello arderet mare Balthicum, salutares Reipublicæ tantisper belli inducias reportantem: Abbazy Bassæ Tyrannicæ ad Podoliam, vel Kameneciam occupandam festinationi, iteratâ expeditione, consilio, milite, personâ, coràm, obuiantem: nè quid reliqui ciues Patriæ paterentur, capitis Tui periculo, omnia salutaria, omnibus prosperitatem. Cæterùm, nec illa Togata honestamenta Tui, ætas consequens obliterabit. Te, in Funere Sereniss. Sigismundi III. ac Constantiæ; tum in Electione, Coronationeq; Vladislai IV. & in eiusdem Hymeneo, Ceciliæq; Renatæ, & in comitatu Regiæ profectionis, ad Ferdinandum III. Imperatorem Romanum, Te inquam Tuas (quarū pars magna fuisti) Sparthas obiuisse, egisse, ornâsse. Vbique Tu Nobilitatis Cyneas; Areopagi Lublineñs. Aristides; Comitiorum Regni, Catonianus Nestor.

Cui præterea, Illustrißima ô Theophila Sobieska Palatina Belzensis, cui inquam potiùs, quàm Tibi, Auum Tuum Maternum Stanislaum Zolkieuium, Auunculum Ioannem Zolkieuium, Patruelem Lucam Zolkieuium, Fratrem desideratissimum Stanislaum Danilouicium, exhibeam Laureatos? Quòd si ista decora Patriæ, Marco & Ioanni Sobieski, Filiis Vestris, æmulanda videantur? non diffiteor.

Reginam

Reginam igitur ab Herburtis Zolkiewiam, Auiam Tuam; & Zophiam de Zolkiewio Danilowiciam Matrem Tui; Catharinam à Zolkiewio, Amitam, Stanislai Koniecpolscij Ducis Exercituum Castell. Cracou. Consortem; Virginem Dorotheam etiam Danilowiciam Sororem, Benedictinam Religione; Tuam tamen sanguine. Totum hoc Patricium Genus, vel Tibi, vel Tuis, Catharinæ & Annæ Filiabus, exemplo Sancti Hieronymi, talia suis, Eustachio, Lætæ, Blesillæ, Asellæ, non expectatâ ætatulâ præscribenti, offero. Vestrûm, vniuersum esto hoc Lauretum, ô Heroes. Lauro dignissimum Par in omnes æternitates virete. Macte virtute Zolkiewianâ, ab Zolkiewio, in Vestrum Genus, cum asse hæreditario deriuatâ laureandi Anno, 1640. Septembr: 21.

Illustrißimis Celsitudinibus Vest^rum^ ita precatur.

Ad Aras Eiusdem Ecclesiæ Zolkiew:
Presbyter Andreas Malski
Concion. Ordin.

LAVRETVM
ZOŁKIEVIANVM

ETSI vereor, ne iniuriam facere videar Italiæ, Vrbi, Ecclesiæ, Religioni, cæterisq́ Christianis Lauretũ peregrè commeantibus; qui in Regno Poloniæ, ad Leopolim Russiæ, in Ciuitate Zołkiew, appellare audeam *Lauretum Zołkiewianum:* tamen quia dissimulare non possum, etiã Europæam in Poloniã Sarmatiam, cum Italiâ in dies vrbiũ firmitate, Ecclesiarum maiestate, Religionis integritate, Christianorũ vniuersali certare propè pietate; non difficile existimo, me appellationis assumpto nomine, sine cuiusquam offensione, gauisurum. Enim verò, ego hodie non vniuersæ suscipio patrocinium comparationis; verùm vnius Basilicæ Zołkieuianæ, Diuis Martyribꝰ, *Laurentio* & *Stanislao* exstructæ, suspensus admiratione hæreo: ad eam obtutum defigo: adesse huic animis, qui corporibus nequeunt, cupio: æmulos simillimæ pietatis ad posteros transmittendæ Heroës desidero: Duces facti optimi, de Republicâ Polonâ & Christianâ Religione meritissimos, in concilium æui beatioris referendos, censeo: vel ob solam in hoc Laureto Zołkieuiano Basilicam, quam ego dici cupio ex nomine Laureatorum *Laurentij* & *Stanislai* Martyrum, *Lauretanam*. Equidem in eâ sententiâ esse libet, quocunq; oculos conijcio, siue Martyrum par Tutelarium Diuorum veneror, Laureatos esse Ecclesia Apotheoseos authoritate toto in orbe Christianitatis pronunciauit: siue erectæ Basilicæ principes Zołkieuios admiror, purpuratos suo pro Republicâ Christianâ sanguine, aduersusq; Turcas, & Tartaros Christiani hostes nominis, occubuisse Heroâs, nulla vnquam posteritatis memoria conticescet. Compendiosa est hæc via, ex Sarmatiâ Poloniæ ad Laureas immortalitatis, vel in Laurentinam Basilicam liberalitate; vel Zołkieuiani Sanguinis quaternâ ad Reipublicæ Christianæ salutem prodigalitate. Deniq; Basilica hæc immortalium ferax Laurearum, Academia quædam vniuersalis mihi esse videtur, vbi & Martyribus, & Exercituum Imperatoribus, & Doctoribus, & virtutis integritate Illustribus suæ debeantur Laureæ; & vnde cœlum absit *paucis vlnis*: imò noctes atq; dies, pateat alti ianua cœli: vnde ascensus sit, superas euadere ad auras:

vnde

vnde facili compendio mortales euectet ad æthera virtus. Atque his adductus rationibus Zołkieuianam Laurum nuncupare volueram; cæterùm, quia plures certatim Lauros inuenio; *Lauretũ Zołkiewianũ* ampliato fertilitatis nomine appellabo. Quod dùm verbis certum firmumq́ facere contendo; Triadem Diuinitatis, *Patrem*, *Filium*, *Spiritum Sanctum*, Christiano dogmate apprecor, venerórque. Faxit Entis entium Omnipotentia, Sapientia, Beneficentia, vt ad pares Laureas immortalitatis animorum desideria nostratium etiam exardescant.

Virtutis pulchritudinem etsi oculis corporeis videre non licet, animorum tamen in eam ferimur obtutibus: vt vel in hoste posita delectet, & vel remotissimas in oras trahat in sui desiderium, & honorem. Sanè, qui virtutem coluerunt, Diuorum numine & nomine audiuerunt. Ita Herculem, Martem, Mercurium, Apollinem, Iouem in cœlo esse fabulosa gentilium renunciauit antiquitas. Virtutis porrò sectatores, Quernis, Populeis, Myrteis, Aureis coronis ornandos, prisci ætas sæculi censuit. Vnde Virgil. Eclog: 7. *Populus Alcidæ gratissima; Pastores hederâ exornate Poëtam.* Laureas in præsens ego demirabor coronas: imò Lauros, imò Lauretum. Atq; ita Latinorũ Princeps quispiam, à Lauro memoratur; Laurentis nomen posuisse colonis, vt ex Lauro ominosâ virtutis & gloriæ domicilium esset perpetuũ, sacrumq;. Quâ de re Maro lib. 7. *Laurus erat tecti medio in penetralibus altis sacra, comam, multosq; metu seruata per annos, quam Rex inuentam primas cùm conderet arces, ipse ferebatur Phœbo sacrâsse Latinus.* Equidem Phæbo sua Laurea nulla, si ad trutinam Christianæ Religionis Academiarum res veniat. Deo Optimo Maximo Triadi Sanctissimæ, Integerrimæ Magnæ Matri Virgini Deiparæ Mariæ, Diuis què Laurentio & Stanislao *Lauretum* istud *Christianum* in Sarmatiâ Poloniæ Catholicum Zołkievius plantauit. Ille Auorum suorũ Terræ Chełmensis, è Palatinatu Russiæ, ab ipso Miecislao Primo Christiano Polonorum Principe non degener. Ille in Maioribus suorum, Terrarum Russiæ Palatinus. Ille Ecclesiæ Metropolitanæ Leopoliensis, vel æreis tabulis sepulchralibꝰ comprobatus propugnator. Ille, qui veriùs, quàm Æneas glorietur. *Et mi genus ab Ioue summo*. Ille, qui rebus præclarissimè gestis, cæteris insonet. *Et nos aliquod Patriæ nomenq; decúsq; gessimus!* Sanè Stanislaum Zołkievium audiet, &, *Si quem tellus extrema refuso submouet Oceano*, & *Si quem extenta plagarum quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui*. Audiet (inquam) ab Zołkieuio Diuis Laurentio & Stanislao Martyribus, nunquam satis laureandam Basilicam esse collocatam: eandemq; ab Ioanne Andrea Prochnicio, Archipræsule Leopoliẽsi Catholicæ pietatis ritu consecratam. Et verò, quis prohibet muros iacere, & dare ciuibus vrbem? nulla ne *Zołkiewiæ* dicentur *mœnia Lauri*? Dicentur verò, & dicuntur: vtq; viret semper Laurus, nec fronte caducâ carpitur, æternum Zołkieuiana virtus sic habet ipsa decus. Suspicit Ouidius Trist: 3. Elegia 1. Augusti Octauiani palatiorum propylea; cur appositâ velatur ianua Lauro? cingit & augustas arbor opaca fores? Causamq; subijcit, quia

perpe

perpetuos meruit domus illa triumphos. Ausim ego hoc ipsum de Zolkieuio Acroama dicere. At interea Martyrum Diuorum gloriæ velificabo. An non perpetuos meruêre triumphos? Sanè mundi personatas præcellentias, carnis lasciuientis illecebras, oppugnantium nos Cacodæmonum fallacias deuitâsse; Africam est, & Asiam, imò totum orbem terrarum detriumphâsse: nec elementis, nec suppliciis vinci, immortalitatis Diuinæ cuiusdam est prærogatiua. Igni datur Laurentius; armata sæuit vngulis tortoris insani manus: *Sed permanet non mobilis vitæ perennis gratia.* Nec dissimiles Stanislai Sancti Laureæ. *Certans pro iustitiâ, Regis non cedit furiæ: Stat pro plebis iniuriâ, Christi miles in acie.* Vin' plura? *Tyranni truculentiam, qui dùm constanter arguit, Martirij victoriam membratim cæsus meruit.* Admirandum par Martyrum, perq; simillimum. Valerianus, Laurentio; Boleslaus Audax, Stanislao; vt rapiant aurũ Ecclesiæ, auaritiâ inflãmantur: vt autem auferant Christum, animiq; virtutem, impietate exardescunt. Præcipit ille Laurentij corpus subiecto igni torreri, vt per cratẽ ferream fieret cruciatus productior; hic, rem, propè inter sacrã, vulnere primũ lethali, caput Stanislai proscindit, cerebroq; eius parietẽ inspergit, corpus deinde in septuaginta duas partes discindit. Cæterùm nihil obtines, nihil proficis crudelitas. Nam & Laurentio concesũ tormentorũ incendia superare, & Stanislai corpori, pristinam ad integritatem redire: vt verè liceat, cum Leone Pontifice Acroasin ordiri. Sæuistis percussores in Martyres; sæuistis, & auxistis palmas, dùm aggessistis pænas. Sanè vtriq; Diuo Martyri supplicij instrumenta in honorẽ triumphi transierunt, Laureatissimos vos verò Martyres, aut Vtrumq; Laurentium à Lauro, aut Vtrumq; à gloriâ æternitatis, Stanislaum. Seruauit peculium Ecclesiæ Laurentius; seruauit Stanislaus, suo sanguinis, & vitæ periculo. Valeriano restitit Laurentius; Boleslao itidem restitit Stanislaus. Cæcos illuminat Laurentius; ad vitæ portum redit Stanislai apud Deũ voto vitæ triennalis expers Piotrauinus. O Par Laureum! O Par sanguine Martyreo purpureum! Rectiùs ob istos vestros perpetuos triumphos, Basilicæ vestræ apposita velatur ianua lauro. Iustiùs cingit vestras ædes, quàm Octauiani palatij Laurus fores. Alterum encomiũ Lauri comperio; Leucadio, seu Apollineo semper *amata Deo.* Ego verò vt Apollinis Deastri nullum Numen, ita & Lauream nullam agnosco. Si quid Laurei honoris hîc est, id Sapientiæ tributum iri peruinco Christianæ. An enim sapientiam dixero elementorum & Meteoron? terrarum? cæliq; Anathomicam distributionem? Sapientiam profiteor Christianam: Vnitatem scilicet Diuinæ Essentiæ in Personarũ Trinitate. Diuinæ gratiæ ductu existius mundi Labyrintho in cælestium Rerumpublicarum societatem commigrandi suscipio felicitatem. Diuitiarum, voluptatum, honorum, Euripo non abripi: ita & Reipub. & proximorũ cõmodis non segnẽ adesse, & prodesse; solis, syderumq; cælestiũ ad instar, in hæc inferiora benignissimo fertilissimoq; influxu. Hanc, non è Iouis cerebro natam; sed è cælo per Messiam

Christum

Christum Iesvm Dei Patris æternùm vnigenam allatam Sapientiæ Christianæ Palladem nesciuit Plato, ignorauit Pythagoras; Aristoteles, & Socrates, cum Peripathteticorum, Stoicorumq; scholâ, ne somniâsse quibusdam videri possint. Cuius Diuinæ Sapientiæ non nisi in Ecclesiâ Christianâ Catholicâ Romanâ quæruntur, succrescunt, conferuntur Laureæ. Vbi enim sanctius Sapientiæ domicilium? Ne tu mihi Ægyptiorum, aut Atheniensium, aut Gymnosophistarum, aut quorumuis aliorum dogmata deprædices. Nihil ista omnia ad seriem sanctissimæ Christianæ pietatis exercitamenta. Equidem in Theologicis veritatibus promulgandis, confirmandisq;, an non Lauro digna capita Pontificum decernentium, definientium, canones præscribentium, & cum ijs, eorum, qui operâ vicariâ iisdem in veritatibus suffragantur? Quid in Euangelio collaborare ijs, quibus dicitur; *Vade, & prædica populo?* opus implere Euangelistæ? consecrare os suum Euangelio? oppugnare Hæreses? demoliri Schismata? animas ab descensu Auerni superas euocare ad auras? scelerum contagiones auferre? cum Sanctis ad eorum exempla viuere? virtutum palæstras excitare? Quid Sacramentorum administratio? participatio? Vbi nos Ecclesia parturit, donec Christus in nobis formetur? vbi filios adoptionis esse licet, hæredes Dei, cohæredes Christi? Quid praxis dirigendarum quà in Deum conscientiarum, quà in proximum, quà in sui perfectionem? Non centoculos Argos, non Theseos fidissimos, animiq; latebrarum peritissimos requirit? Quò me vertam, nescio: quid priùs deprædicem, ignoro. Panemne paruulis frangi, & lac præberi, principiorum Theologiæ, in Cathechesi perpetuâ fundatâ? Ad populum Zolkiewianum in solennitatibus Diuinis de rebus multiplicari sermones? Votiuarumne festiuam Missarum frequentiam? Alternosne labores Presbyterorum sibi in Officio Beatissimæ Virginis MARIÆ, & Canonicarũ Horarum succedentium? Desideret quispiam Sanctissimæ Triados solennia Missæ Sacrificia? Habentur Festis ac Dominicis singulis diebus. Beatissimam Virginem MARIAM saluere, quæ enixa Regem cæli & terræ, quispiam exoptet? Quotidiana ista erga Deiparam famulitia. Alius desideria illa Messiæ cunctis gentibus desiderati, cupidis auribus excipere gestiat? Rorâsse cælos, germinatum Messiam, generis humani vindicem, cum Hierarchiâ cælestis ac terrestris Ecclesiæ? Quintis quibusuis feriis gaudebit. Purpuratum in sanguine suo liberatorem nostri IESVM, Dei & Virginis Mariæ filium, recolere suadeat cuipiam pietas? Eius verò cruciatuũ memoria, Sextis feriis perpetua. Sacratissimi Corporis CHRISTI cupido est adorandi? Eius verò frequentissima subest cum maiestate veneratio. Quid enim in eâ Christiane desideres Basilicâ? Sacratissimi Rosarij Sodalicia? Habes. Ad Trinã ANNÆ, IESV, *MARIÆ*, societatem adspiras? est verò vbi nomen tuum in eiusmodi amicitiam adscribendus profitearis. Angeli Custodis frater esse, & conseruus Apocalypticus vis? Aude, & te quoq; dignum finge Cælite, administro tuæ salutis. Quantus gratiarum etiam hîc thesaurus! Et dubitabimus propi-

tium

tium hîc fieri Deum, tot inter patrocinia? Animarum ab corporibus exulantium piacularia suffragia quis exoptet? Ne hanc quidem huic Basilicæ Sedes Apostolica denegauit, Sacrificio interueniente, liberalitatem. Vrbem, vt olim Corynthũ, non est cuiusuis adire: vt, quemadmodum Roma gaudet Laurentij Martyrio, ita & Zolkieuiana Laurentiana Basilica Laurentij & Stanislai gauderet patrocinio. Prospexerunt Summi Ponifices Romani iam inde ab PAVLO V. ad eum, qui hodie vniuersæ Catholicæ præsidet Ecclesiæ *VRBANVM* VIII. vt præter gratias templi Patronorum, & Sodalitatum, Septem Altaria Zolkieuiana, intra & extra Vrbis Romanæ mænia, gauderent Indulgentiarum prærogatiuis. Donari hoc sanè debuit Altaribus Diui Laurentij, CHRISTI IESV in crucem salutis nostræ gratiâ suffixi, Sanctæ Annæ, Rosarii Beatissimæ Virginis MARIÆ, Angeli Tutelaris, vnà & Sanctis, in quincunce ab GREGORIO *XV*. Canonizatis; Mariæ Magdalenæ, nec non tandem & Stanislai Martyris ac Pontificis, Regniq; Poloniæ Patroni. Quid Sacrosanctorum Diuorum Lipsana, vulgò Reliquias, & Memorias, deprædicem? Quid Hesperidum & Alciones, & Zolkieuiani Paradisi Lilieta, Roseta, & quicquid spirat Ambrosiam, argutissimè succrescere odoriferum ver soli mireris Ecclesiæ? Quid Sanctorum Corpora ab Romanis Pontificibus donata, Sanctæ *Crescentiæ*, & Sancti *Datiani*? Quid Basilicæ eiusdẽ Bibliothecã? Illa ipsa, Scripturæ Sanctæ, Patrũ Sanctorũ, Interpretũ, Paraphrastarũ, siue Hebræorum, siue Græcorum, siue Chaldæorum, siue duarum supra septuaginta versionum fontes rimari cupias. Libet dies noctesq;, oculos, aures, manus, & animum dare, Augustino, Ambrosio, Gregorio, Hieronymo. Velis Iuris Canonici Pandecta, Ecclesiasticos Annales, Chronologos, (verbo) quicquid ad Ethicen, ad Politicen, ad Physin, vel Apostolicam, vel Euangelicam collibuerit; oculorum priùs, quàm Codicum destituaris supellectili. Quid ego de Symphoniæ dicam in Basilicâ Zolkieuianâ apparatu? Equidem ad Organum Musicum Tubalcainos, Orpheos, Ariones, Amphiones, tàm priscos illos, quàm politioris fortassè huius sæculi Prænestinos, Prætorios, Phinetos, & si quid est Regiorum sacellorum, Pontificalium, Imperialiumq;, nõ admodùm existimo quidpiam desideres. Sanè ipsimet Schismatici cũ suis tintinabulis; & male olidi perfidi Iudæi, cum suis Iobel, vlulatuq; Cybelæo, ad harmoniã cõcentus Basilicæ Zolkieuianæ vel obstupescũt, vel obsurdescũt: Cathechesinq; quãdã vtriq; perpetuã habẽt veritatis illi⁹ cognoscẽdæ Ιησῦς Χριστὸς υἱὸς θεῦ σωτὴρ & quod in Cruce trilingue fuit, ex decrto Pilati, ישוע נאצרי מלך יהודים *Ieschuàch Nazari Melech Iehudiim*. Hîc ego è conspectu thesauri Basilicæ, me, & eiusmodi cupidos rerum esse cuperem. Videre esset Calices, Patenas, Cruces, Reliquiarum scriniola, monstrandæ Eucharistiæ aureum Tabernaculum, Torques, Purpurã, Persicos, Turcicos, Phrygios, Hispanicos, Alexandrinos, in Casulis, Pluuialibus, Dalmaticis, pendulis, affigiq; solitis paramentis, Attalicos labores. Vnionum copiam Moschouitici olim thesauri ostentamenta; Lapillorum pretiosissimorum

ab vltimo oriente, nomenclaturam nequidem, Plinius è suâ naturalium historiâ facilè commodauerit. Templi porrò ipsius maiestas admiranda, fastigio non absimili, ab Romanâ Sanctorũ Petri & Pauli Basilicâ. Iam verò per testudinem, infernè Pontificum, Ecclesiæ Doctorum, & id genus rei Christianæ capitum, decora, viuentia credas pietatis simulachra, Alabastrico lapide solidata. A foris, vnde fastigium tegulæ assurgit, videas Procopios, Martinos, Georgios, Gallicanos, Constantinos, & id genus Equitum Christianorum Theodoros, Mauritios, Florianos, pro fide bellantes. Quoquò se coniecerint oculi; vel maiestatem admireris, vel sanctimoniam, vbiq;, etiam in fenestris, venereris. Mausolæa marmorea erectarum personarum, ad pietatis imaginem, Altari summo assistentium, mortalitatis suæ, quem non intimè cõmonefaciant? Ad nutũ Diuinæ maiestatis, hinc Exercituum Ducem Cancellariumq;, cum Filio; illinc Coniugem, cum Filiâ, etiam personatos constitisse. Mireris Duci, Michaelem Archiducem cælestiũ exercituum; item, Diuum Stanislaum: Filio verò, Ioannem Euangelistam, patrocinaturos imminere. Matronabus porrò, Beatissimam Virginem MARIAM, cum Reginâ Diuâ Virgine, & Zophiâ Viduâ Martyre superesse in sublimi; pauimento marmoreo pariter, per templi vastitatem sese diffundente. Sed quid ego immoror? Cæmeterium ipsum, castelli visendi formam refert, rarissimo exemplo, lapide quaquà versus stratum, vt ad sacrarum Peripatesin processionum, Eucharistiæ in auro fabrefacto ingeniosissimè & sumptuosissimè deportationem, Companiarum, Sodalitiorumue traducendorum ordinem non facilè compendium simile ad Metropoles Ecclesiarum Regni comperias. Domicilia, quà Præpositi, quà Presbyterorum, sua cuiq; ad amussim exacta: Eremitoria Camaldulensium, aut illorum dicas Patrum Aegyptiacorum. Xenodochiorum item par, in quibus, & numerum mysterio pietatis Christianæ respondentem, & suum vestimenti ad honestatem genus mireris; & veteris Ecclesiæ Diaconissarum ordinem, nè requiras. Mitto palæstram studiorum humaniorum. Quantæ hîc copiæ auxiliares! Quot ciues exindè, vt ex equo Troiano, quot ad œconomicen, quot ad castra, quot ad Clerũ, Gymnasijs alijs ad hæc perlustratis, transeunt! In Palæstris, & Ecclesiis, profectò compendium video Vniuersalium Academiarum: dùm in Gymnasiis scientiæ, in Ecclesiis seruitur conscientiæ. In Scholis, linguam, symphoniam, & fidem ediscas Romanam; in Templis, eandẽ exerceas, & profitearis. Exinde est, vt Hæretici, Schismatici, perfidi Iudæi, plùs Scholasticorum, Academicorũq; timeant elementa, quàm reconditissimæ Philosophiæ prædicamenta, aut Theologiæ fundamenta. Quoniam igitur eruditionis ac doctrinæ Christianæ nusquam latior campus, quàm ad Ecclesiam Catholicam exercendæ; manifestum esto, etiam hic Lauretum esse, & Laureas Sapientiæ Catholicæ pullulare, ad Lauretanam hancce, Laurentij, & Stanislai, Lauream & nunquam satis Laureandam Basilicam.

Tertium mihi assumpsi comprobandum, Laureolas, seu Laureas, exindeq;

deq́; Aureolas, & aureas coronas, poſt Martyres, eoíq́; qui ad iuſtitiam alios erudiunt Chriſtianā Doctores, Virginitati ſeu integritati deberi. Vt verò ſimillimum ſit, virere ſemper Laurum, virere & Virginitatis honorem: Laurum fronde caducâ non carpi; fixum & integritatis decus eſſe atq́; æternum. Diuina res integritas; Diuina: ſed quæ præmia integritati dat Deus, ita cuidam ad eam capeſſendā virtutem hæſitanti, ab cœlo inclamatum. Et ſanè Ambroſianè Ambroſius de iſtâ Ambroſiâ Lib. 1. de. Virg. *Eam nec â naturâ ſuis eſſe incluſam legibus, imò ſupra naturam eſſe, è cœlo in terras accerſitam: Sponſum eius eſſe in cœlo, de cœlo vitam eiuſmodi fluxiſſe.* Mirandum porrò magis eiuſdē eâdem in re Axioma; *Non ideò laudabilem eſſe virginitatem, quia & in Martyribus reperiatur; ſed quia & ipſa Martyres faciat.* Difficilis eſt admodùm in eâ virtute perſiſtendi ratio. *Difficilia, quæ pulchra*, ex veteri prouerbio; χάλεπα τὰ κάλλα. *Nullâ reparabilis arte, læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel. Altera prolapſos non vectat ad æthera virtus.* Plures innocentiam conſeruâſſe: non nemo ſacratioris Chriſtianæ ſapientiæ Sophorum; vix quenquam, imò nullum ad innocentiam primam redîſſe, obſeruauit. Quibus igitur non licet cum Angelis, & Virginibus; iis, cum Magdalenis, Dauide, Publicano, Latrone, liceat in cælum viam aggredi, qui non integrâ merce & naui nauigamus. Equidem Bernardus Sermon: 5. de Aſſumpt. ait. *Non eſt omnium integritatem poſſidere. Periit virtus illa à me: non eſt iam vel aſpirare ad eā.* Et hæc quidem Bernardus in ſuâ perſonâ, magis de nobis, quàm de ſe. Quid igitur nos, qui ab centeſimo fructu virginitatis abſumus? Sexageſimum viduitatis ſaltim, vel triceſimum ſocalis vitæ, nè perdamus. Ad honeſtatem reparabilem feſtinemus: pæniteat nos anteactæ inſolentiæ: ſi non in primis, vel in vltimis virtutis gradibus conſiſtere ſatagamus: & vt Seneca ait, *Virtutem vel reptabundì ſequamur.* Sunt profectò in Sarmatiâ Poloniæ, Angelicæ huius virtutis Lilieta, Caſimireæ integritatis, Staniſlai Koſtkæ innocentiæ, Boleſlai Pudentis pudicitia, Hiacynthorum ebur, totq́; aliorum cum Ioann. Cantiis candores. Quid Kunegundes *S*andecianæ niue candidiores? quid Salomeæ lacte nitidiores, vel â Sanctâ Clarâ, claritatis compotes? An non à Regni Metropoli, ab Cracouienſibus Sancti Franciſci Cœnobiis, toti orbi clareſcunt? Quid ſi ad iſtarum imitationum diſcipulas domeſticas integritatis, meliùs, quàm olim Romæ, Veſtales ſui foculi ſeruatrices exhibeamus? O ſi liceret percenſere Virginum centurias, ex diſciplinâ pudiciſsimæ Cancellariæ REGINÆ à Fulſtin Herburteidos Zolkieuiæ, ad eam ipſam Baſilicam, pietate efformatas: ad Aulæ ampliſsimæ ſplendorem, vt pullos aquilinos ad ſolem comprobatas, atq́; in diuerſa Religioſæ Cœnobia virginitatis traductas. Inueniremus colonias pudicitiæ integerrimæ transſcriptas, etiam hodiè feliciſsimo virtutis indelibato fructu gaudere. Sed quid ego diſsimulo? Sanguinis Zolkieuiani Neptem integerrimam, religioſiſsimam, ad præſcriptum exemplar Benedictinæ, imò Benedictæ Sanctæ Scholaſticæ, Virginē *Dorotheā*

Danilo

Daniłowiciam Terrarum Ruſsiæ Palatiniden, æmulatricem Kunegundarum, Salomearum, Zembocinarum, & Virginitatis lilieto, & Religioſæ vitæ paludamento; & tanto de Oleſcianis, ac Zolkieuianis hæreditatibus, ad aliarum in virginitate & pietate præſidium, illato, adhucq́; inferendo patrimonio. Quem mortalium per Deum immortalem non rapiat íſta virtus in ſui admirationem? & tanti, de ſuâ olim ætatulâ teneritudine, virgineæ heroinæq́; complexionis, tantis de poſſeſſionibus, tanto de nataliū ſplendore per abdicationem abnunciationēq́; religioſā triumphi venerationē? Fortunatā Te, ô Virginē Dorotheā! δῶρον τοῦ θεοῦ, à Deo donatā in terris, tot honoribus, at maioribus donandam, in ſplendoribus Sanctorum Sanctarumq́;. Rapis in Tui aſpectum cœlo fruentem Auiam Tuam Maternam REGINAM de Herburtis Zołkieuiam Cancellarii Regniq́; execituum Ducis Supremi Conſortem. Illicis in Tui amorem Matrem Tuam *ZOPHIAM* de Staniſlao Zołkieuio Daniłouiciam Terrarum Ruſſiæ Palatinam. O Te Benedictam, & Scholaſticam! O Te tantarum, Auiæ iuxta ac Matris, tantam virtutibus Neptem, & Filiam! Convenêre ſuis video iam nomina rebus. Auia Tua *RÆGINA* Regiam rem eſſe credidit, & præſtitit, magnanimitatem, in aduerſis; integritatem in proſperis; erga proximos, pietatem; in Eccleſiaſticis, maieſtatem; in poſteris, vel exempli ſui memoriâ efformandis, maturam ſanctitatem. Iam verò *Zophia* Mater Tua, illa ipſa Prouerb. 31. Sapientiſsimi penicillo expreſſa; *Fuerat illi os ſapientiæ, lingua clementiæ, manus beneficentiæ, oculus miſericordiæ. Nobilis in Senatoribus Regni*, Palatinus Ruſsiæ, *Vir eius.* Vix diſcrimē comperias: Ita Auia, & Mater, Deo & Patriæ natas ſe eſſe ſciêrant; Baſilicam ſui municipij Diuino cultu magnificentiſsimè exornandam ſuſceperant; Patriam, Filiorum ſuorum, Virorumq́;, deuotione Curtianâ, Fabianâ Scæuolianâ, Lacænarum exemplo ſeruandam, imò extremo ſeruitutis Othomanicæ, capitumq́;, ceruicumq́;, non periculo, ſed excidio, defixerant. Genuina illa veſtra ſunt, ô Auia & Mater Elogia; *Idcircò genueram Ioannem Zołkiewium Capitaneum Hrubieſzowienſem; idcircò in lucem edideram Staniſlaum Daniłowicium Palatiniden Ruſsiæ, Capitaneum Korſunenſem; vt eſſent, qui pro Republicâ occumbere non dubitarent.* Et verò Lacedæmoniorum militiæ articulus in conſtitutionibus fuerat vndecimus. *Ex acie nemo fugiat, nec ordinem deſerat; ſed, aut vincat, aut occumbat.* Macte verò ô inclyta Veſtalis Virgo, Tuâ iſtâ, & Virgineæ integritatis, & Religioſæ ſanctitatis virtute. Auiæ illius, & Matris, viue ô Neptis, & Filiâ; & dote tuâ, patrimonioq́; in Religionem illato, Mater tot Religioſarum Benedictarum, & Scholaſticarum. Addo. Viue & Soror Illuſtriſsimæ *Theophilæ in Zołkiew Sobieſciæ Palatinæ Belzenſis*, de quâ, habitura es Proneptes, *Catharinam, & Annam* Virgunculas, pietatis Tuæ & vitæ Religioſæ imitatrices. Tuorum verò Maiorum, Auunculi, & Fratris, viſura es, in *MARCO, IOANNEq́;*

Palatini-

Sobieski (vtinam & *Stanislaolo* vita diuturnior fuisset) Palatinidibus Belzensibus, Pronepotibus, togæ & sagi æmulatores. Equidem ab egregiâ indole vtriusq;, ita & reor, & si quid veri mens augurat opto. Agite verò, Marce & Ioannes Sobieski Palatindæ Belzenses cùm matura adoleuerit ætas, vterq; sis memor: & vos animo repetentes exempla vestrorum, Abauus, Auus, Pater, & tot Auunculi, excitent Hectores. Restat vt ad quartum genus Laureatorum, Laureandorumq; veniamus. Atq; hæc est natio eorum, qui Rempublicam saluam esse cupiunt: qui dies noctesq;, suis opum, corporis, animi, consilii, sanguinis, vitæ deniq; facultatibus satagunt, cauent, vident, ne quid Respub: Patriaq; communis omniū parens capiat detrimenti. Atq; vt vela orationis contrahere incipiam; is mihi, (imò STEPHANO BATHOREO Regi, semper militis boni nomen audiebat) semper visus est *Stanislaus Zolkieuius* Regni Cancellarius; Supremus Exercituum Dux, Barensis, Kamionacensis, Iauorouiensis Capitaneus. is vir, imò bellator, belli Dictator, semper (inquam) visus est Zolkieuius. Nec iniuriâ. Nàm quoad longissimè potest memoria Patrum nostrorū prospicere spatium præteriti temporis, constat solū inter Triginta Candidatos, ab SIGISMVNDO III. hortatu *Ioannis Zamoscii* iudicatum, qui Generalis Campestris Dux militiæ crearetur. Atq; ita inuenio Epigraphen æream in Arcis Zolkieuiensis palatiorum propylæo, eiusmodi testimonium in Rempub. suosq; Concciues animi Zolkieuiani. *Stanislaus Zolkiewski Castellanus Leopoliensis, Exercituum Regni Poloniæ Campestris Dux; nec non Hrubieszowiensis, Rohatinen: Kamiona. Kallusien. Medincen. Capitaneus, dùm pluribus bellis nauat Patriæ operam, ad suos, suiq; vicinos, à subitâ hostium incursione tuendos, præsidiariū hoc tùm munimentum à fundamentis erexit.* Atq; hìc ego, quò me vertam, nescio: vndè seriem panegyreos incipiam, ignoro. Maiorum persequar splendorem? In oculis sunt Palatinatuum, Belzensis & Russiæ, auita municipia. Non difficilè est Zolkieuiano nomini, sanguine longo censeri. Parentes, Palatinus Russiæ, eiusdem nominis *Stanislaus Zolkiewski* & Generosa *Lipska de Gorai* & alij priores ipsius Senatores fuêre Regni. Veteres circumstant Zolkieuiorum atria ceræ. Patuisse ad Rempublicam aditum, an enim verò existimamus, nisi & Generis & Virtutis, & rerum Pallados, in suâ personâ ab Millesimo quingentesimo quinquagesimo natus, deinceps, & in Almâ Acedemiâ Cracouiensi, exindeq; in Parisiensi Vniuersitate, cognitione scientiarum excelluisset: &, quæ Liuium, Curtium, Iulium Cæsarem, præscripsisse didicerat, Bellonæ comprobâsset experimentis? nequaquā, nisi instructum optimè Serenis. Reges Polonìæ STEPHANVS BATHOREVS Aulicum & militem; SIGISMVNDVS III. Ducem belli, Virum vterq;, comprobâsset. Sanè. Zolkieuium nouerant Pontifices Romani, persenserant Imperatores Germani, Gallia susceperat, vel à primo flore iuuentæ. Enimuerò ipsum Stemma *Lubycz*, Ethymologicos

logicos

logicos, Amorem patriæ reciprocū sonat. Fuit, fuit hoc superiore sæculo in Regno Poloniæ proprium Tarnouiorum Gentis, vt, *Ioannes Tarnowski* Castellanus Cracou. Exercituū Regni Lusitaniæ, mox in patriâ Poloniæ Dux, *Amor*, cognomento appellaretur, vt olim apud Romanos quispiam, Corculum. Quid *Nicolaus à Mielec Mieleckì* Palatinus Podoliæ, *Nicolai Comitis ab Ostrorog* Palatinidæ Posnanien: Pocillatoris Regni Maternus Auus, an non & ille suæ Patriæ Pectusculum? Exercituum Dux, in Moschouiâ, in expugnandis præsidiariis arcibus hostium, STEPHANO BATHOREO regnanti, & bellanti probatissimus. Quid *Ioannes Sarius Zamoisky*, vir ad Reipublicæ salutem, & Palladis genio pollens potensq; Cancellarius, & Regni Exercituum Dux? Vellem, & verò cuperem, ab ipso vel principe Gentis nostræ Lecho, Lechos, seu Polechos, Polacos Duces commemorare: atq; ita docerem, Stanislaum Zolkieuium, Hæredem earundem virtutum fuisse, & ab illa priscâ gloriæ nominisq; dignitate nihil penitùs desciuisse. Hìc ego percenserem Lechos, Cracos, Præmislos, Duodecem viros Palatinos, *Woynywodzos*. Nihil enim apud Polonos aliud est, fueratq;, Palatinos esse, quàm Duces, Pompeio, Iulio Cæsari, simillimos: qui cæteris bellatoribus patriæ præirent, quatuor illis rebus, scientiâ rei militaris, virtute belligerandi, authoritate, felicitate. Quales Respub Polona sui similes habuit ex Regibus, Boleslaos Chrobros, Audaces, Kryuoustos, Mieczemslauos, Lokiethos, Wladislawos, Iagielones. An enim Regiâ maiestate minùs est, cùm Palatinatus, seu Regni Prouinciæ sint triginta quatuor; & quælibet Chiliadas, imò Myriadas equestriū, pedestriumq; copiarū exhibeat vim, totidē exercitibus, totidemq; Palatinis ducibus bellicis, quot prouinciæ essent, belli Dictatorē præesse? Atq; hoc est in Poloniâ, exercituum Regni Supremum, seu Generalem esse bellorum quoquò versùs Ducem, puta in Liuoniam, Prussiam, Moschouiam, Valachiam, Turciam, Scythiam. Fuisse viros Togâ & Sago, belliq; Duces in Poloniâ, Wrocimouios, totq; Firleios, Tencinios, Lascios, Pretfficios, Zebrzydouios, Sieniauios, Kamienecios, Zbarazios, Ostrogios, Zborouios. Sed mihi non est persequi annaliū memoriam: viciniora delibo. Vt Themistocles Miltiadis trophæis; ita Zolkieuius, societate bellorum, Zamoscianis se dicat excitatum exemplis. Quid enim viciniùs, similiùs, gloriosiùs, quod de ramo aureo cecinit Heroicorū Poëtarum princeps Æneid: 6. hìc planè, verum sit, oportet; Post principem, Ducemq; Regni Exercituum Zamoscium, fuisse Zolkieuium. *Primo auulso, non deficit alter aureus, & simili frondescit virga metallo.* Sanæ vterq; Nestor, Cancellariatu; Agamemnon, belli Ducatu! Quatuor illa optimi Imperatoris encomia, non faciliùs in vno, quàm in altero horum mireris, venereris, æmuleris. Libet Zamosciana virtutis theatra bellica perlustrare, vt non omninò Zolkieuium, ab inde constet abfuisse. Ad Arces Moschouiticas scilicet ad Welisum, ad Welikolukie, ad Zawolocie, ad Pleskouiam fulminâsse cum STEPHANO BATHOREO Rege Ioannem Zamoy-

sky Parentes nostri spectauere: nec obfuisse Stanislaum Zolkieuium Historiæ scriptores prætermisere, ad Annum Milesimum quingentesimum octuagesimum. Fuit illa virtutis, & dignitatis Zamoscianæ, cum ætate prærogatiua. Deinceps porrò, quando, & vbi non, aut cum Zamoscio *Zolkieuius*; aut sine Zolkieuio Zamoscius; aut, non in vno Zolkieuio, & *Zamoscius*, ad Philosophorum miraculum, pluribus in locis replicatus pari animo & euentu? Quis te Zolkieui tacitum, aut te Magne relinquat Zamosci? Zolkieui, cum Zamoscio? paribus in armis, concordes animæ, duo fulmina belli. Vterq; tu, Maximus ille es. Ambo, qui nobis cunctando, & bellando, restituunt rem. Maximarum equidem rerum, vtcunq; ferent monimenta minores. Occurret menti Maximilianus Archidux Austriæ totâ armatus stipatusq; Germaniâ, ad occupandam cum Regni Metropoli Vrbe, scilicet Cracouiensi, Poloniam. Maximilianum, alterâ Zamoscii; alterâ dexterâ Zolkieuii, cum cæde Germanorum plurium millium, demissis auriculis, vt iniquæ mentis asellum, reiectum, pulsum, fugatumq; longissimè ad fines Regni 1 5 8 7. Nouembris 24. gaudemus. Eundem Maximilianum Imperatoris Romanorum fratrem, intra mœnia Byczynensis præsidii, & vrbis, ex fugâ superiore latitantem, aut gloriabundè copias Germanici Imperii cataphractorum maiores expectantem, expugnatum, captum, lætamur? Expugnauit cum Zamoscio, vel inprimis Theseus Pirythoi bellorum Zolkieuius. Anno 1 5 8 8. Ianuarij 4. Grauis procella dimicationum imminebat Polonos inter, & Tauricanam Scytharum illuuiẽ, *Kazigereio* Tartaro permiscere Podoliam, & Pokuciam temerè pertentante: sed Zamoscio & Zolkieuio aduolantibus, ad Lastuwczanos campos, cis Samborũ, & Drohobicium, facilè myriades Tartarorum, per Hungariæ montana, in suas se cauernas recipere coacti sunt ad Annum 1 5 9 4. Non ita multò post, contra eundem *Kazigerei Chanum* Tartaricum, in campo Martio *Cecoræ* Valachicæ, pro *Hieremiâ* Principe Valachiæ Christiano, fidem & vicinitatem Polonorum implorante, contra Tartariam, & Turciam, Ioannem Zamoscium, & Stanislaum Zolkieuium, vigilantissimos Argos esse oportuit, 1595. Schismatis Græcanici deinde, in Kozacis Rusiæ Kiouiensium genius, furia illa, multorum capitum hydra, rebellis Deo, Ecclesiæ, Regibusq; Poloniæ sub iugum missa, iam inde ab Audace Boleslao Catilinariam colluuiẽ, cum suo Ductore Baccho *Naliwaikone*, in perniciem Nobilitatis Polonæ armauerat. Cæterùm Zolkieuius ita illos fudit, vt ipse doli & belli fabricator pœnas Warsauiæ in Regni Comitiis dederit, & seruile illud bellum, complures per annos, ad vsq; extremum vitæ spiritũ Zolkieuii, nihil in Rempublicã moliri præsumpserit, ab Anno, 1596. Quantũ porrò excidiũ Christianitati vicinæ illaturus fuerat *Michael* vlterioris Daciæ, vulgò Moldauiæ Palatinus, nisi Ducibus Regni huius, Zamoscio & Zolkieuio, in campis Telesinensibus, de spe potiundæ Poloniæ, & totius perturbandæ Christianitatis, deiectus fuisset, Anno 1 5 9 9. In alterâ Regni parte *Wolmaria* vrbs, ab Sudermano Sueco Principe, in Liuoniâ, expugnatione fuerat recipienda: recepit, expugnauitq; Zamoscius & Zolkieuius. *Felinum* vix expugnabile præsidium cessit bellicæ Zamoscii & Zolkieuii virtuti. Eâdem admirabili felicitate *Weisenstein*, seu *Bialykamien* arx pariter expugnata ab Zamoscio, & Zolkieuio; bienniоq; in Liuoniâ præliatum est. Deum immortalem! quando quieuit Zolkieuius? Equidèm non multò post Liuoniam, *Kantimirum Murdzam* Tartarum Ducem, de campo Martio cum ingenti Scytharum exercitu ad *Vdycz* fluuium in Podoliâ felicissimè profligauit Anno 1604. Sed hæc minora cuipiã videantur; illa fixa ad memoriam posteritatis sempiternam miremur. Moschouiæ adiungendæ Regno oportunitas sese offerebat; illuc euollâsset Zolkieuius, nisi post fata Ioannis Zamoysky Rempublicam suis humeris Atlhanteis incubuisse persensisset: & nisi domesticum illud Patriæ malum, discordes Patriæ Ciuium animi, eidem remoram obiecissent. Tumultus enimuerò, tumultus illi Rokossanorũ, Gyganteo Enthusiasmo, nec ad Reipublicæ, aut religionis, aut Regiæ Maiestatis pacem, tranquillitatemq; excitati, sedandi, in officioq; retinendi fuerant. Fuit illa Patriæ procella. Vtinam, vt Amnistiã temporũ illorum ad posteritatis memoriam sanximus; ita in Sarmatiã Christianã, tale quidpiam Æolicum fuisse nesciuissemus. Multum animi, virium, industriæ, vigilantiæ, oportuit esse tunc in Zolkieuio exercituum Regni Duce; ne quid Respublica, Patria, Religio, Regiaq; Maiestas caperet detrimenti. Quid igitur Zolkieuius? quod & Rex Clementissimus. Polonos Polonis oppugnaturus sum, aiebat. Cæterùm maleuolentiæ, & Hæreseos hydra, & ô multiceps Protheû, verte omnes te te in facies, & contrahe, quidquid siue animis, siue arte vales: opta ardua pennis astra sequi, clausũq; cauâ te condere terrâ: Zolkieuius vestris vos exuet armis. Duo lumina, iusti pro *SIGISMVNDO III.* Rege belli, Zolkieuius Regni exercituũ potens, Chodkieuicius Lithuano comitatu, Rempub. Regemq;, Rusia item fidelior, Zolkieuii exẽplo, saluum incolumemq; seruauerunt, Anno 1606. Vos Campi *Guzouiani* testes posteritati estote, Zolkieuium Religioni Christianæ, Regibus, Reipub. sanctissimè, integerrimeq;, Narsetem, Gallicanum, Bellisariũ, fuisse; ad Annum 1608, illius procellæ depulsæ. Rebus ita proindè in Regno pacificatis, in Moschouiam Regno adiungendam festinabat. Præiuerat equidem *Georgius de Konczyce Mnißek* Palatinus *Sendomir.* & *Ioannem Demetriũ Basilidem* in Moschouiæ Principatũ, comitantibus non paucis Polonis, sociatâ eidem in Matrimoniũ suâmet Filiâ Virgine *Marinâ*, deduxerat. At quæ perfidia Moschorũ excepit cædes nostrates insidiosa! societate Moschouitici imperii exciderámus; Moschouiæ Reginam, & Gentis nostræ Conciues illustres, amiseramus. Quid tum *SIGISMVNDVS III* Rex noster ageret? In Zolkieuium totum belli discrimen Moschouitici & moles incubuit. Et verò, quid ni incumberet, in eum, quem & Respub. & Rex Sigis-

mundus

mundus, & Magnus Ioannes Zamoysky, Ducem Dux; Virumq;, Vir legisset iam pridem, & elegisset Zolkieuium. Zamoscius profectò Zolkieuium probâsse vel inprimis videtur, cùm ex tabulis testamenti moriturus, *Thomam* vnicum Filium Gentis suæ Phænicem commendaret Zolkieuii tutelæ, propè in illa verba laudatissimi illius ab Marone Principis; *Mihi iam maturum senectus inuidet imperiũ Martis, Tu, cuius & annis, & generi fatum indulget, quem numina poscunt, ingredere ô Zolkieui fortissime Ductor. Hunc tibi præterea, spes & solatia nostri, adiungo Thomam, sub te tolerare Magistro militiam, & graue Martis opus, Tua cernere facta, assuescat, primis & Te miretur ab annis.* Hic vir, hic, est Zolkieuius, Zamoscii per mortalitatem è Regno Poloniæ abscedentis testimonio. Illud hîc præterea dissimulare non possum, ab Ioanne Zamoscio Zolkieuium subordinatum fuisse, qui Reipublicæ verbis, & desiderio, SIGISMVNDO III. Regi Poloniæ proponeret, Filium *VLADISLAVM* iuuentutis tum in Poloniæ Heroibus principẽ, nunc Regem Inuictissimũ, seueriori Palladis & Martis disciplinæ, Regno in Sarmatico, non esse subtrahendum. Sarmatarum quippe illam esse ex antiquo palæstram, apud Maronem; *Nostrum à stirpe genus, literis duramus, & armis: venatu inuigilant iuuenes syluasq; fatigant: flectere ludus equos; longis proluditur hastis. Tot patiens operum, belloq; assueta iuuentus quatit oppida bello. Omne æuum ferro teritur; hostesq; fatigat hastâ: ne tarda senectus debilitet vires animi, mutetq; vigorem. Caniciem ipsi etiam galeâ premimus. Turcis picta croco, & lasciuâ murice vestis, desidiæ, cordi: iuuet illos indulgere choreis; vbi non Martium dat buccina signum. Sinant arma viris, & cedere ferro: namq; animæ Phrygiæ.* Atq; ita Zolkieuius Catonem tùm Reipubl. & Regni Senatorem, ad Serenissimum Regem, pro Serenissimo Filio, Reiq; publicæ incolumitate egerat: suamq; in clientelâ *Ioannem Zolkieuium* vnicum, exteras nationes, Pallados & Bellonæ experiundæ ergo peragrantem, offerebat: futurum bellorum omnium, vt primùm per ætatem liceret, comitem, pro Regumq;, & Reipublicæ Maiestate pugnatorem. Ita sui simillimos, Martisq; studiosissimos optabat semper fieri Zolkieuius, vt qui eiusmodi fuerit, qualem Maro præconcipit; *Qualis, centum cui brachia dicunt, centenasq; manus, quinquaginta oribus ignem, pectoribusq; arsisse*, cùm superioribus & præliis, & bellis, hostium Reipublicæ contra fulmina, *tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.* Verumenimuero, vt reuertar, vnde digressa est oratio. Diuinè admodùm in totius Moschouiæ campo Martio, victor venisse, vidisse, vicisse visus est, priùs quàm creditus, Zolkieuius. Equidem fulmen belli, ab Smolenscianis campis, ad vsq; Moschouiæ Metropolim, ventis & fulminis ocyor alis; & tantundem vltra Moschorum columnas, & Gades, occupauit, quâ cæsis, quâ dissipatis, hinc, inde Moschorum exercitibus. Ter centena millia Moschorum, ad Metropolim scilicet, alia cum

cum *Wolygo Dumno Boiaro, ad Czarowozamiscze;* insuper ad *Kluszynũ* Anno 1609 obsederant viam Zolkieuio. Quis non obstupescat dexterã Dei omnipotentis cum Zolkieuio, Moschos contra, & Suecos pugnantem, affuisse? Viginti quinq; millia Suecorũ ad Kluszynum Anno 1610 *Pontus* Archistrategus suorũ, vallis, & quercetis muniẽrat: plures triplò Moschorum Myriadas sibi adiunxerat. Quid hîc factum existimamus? Zolkieuius vix duobus, aut quatuor Polonorum Equitum millibus in aciem productis, molem illam exercituum ad rei & victoriæ perennem memoriam, dissipauit; & ad internecionem deleuit robur, vt pote octuaginta millium aggregatorum ibi Moschorum simul & Suecorum. Quid illud? Metropolim Moschouitici Imperii vrbem *Moskwam* à fluuio regionis dictam, detriumphauit Zolkieuius. Quid illud? Moschouiæ Principatus vel ambitione, vel occisi Principis propinquitate, cupidiores *Suiscios, Patriarchas, Gallicinos,* & id genus Principes viros Moschos in seruitutem captos, Warszauiam transmisit, ad Regis Poloni Maiestatem venerandam. Cæteros Moschouiæ proceres, populumq; adegit victor Zolkieuius, compulitq;, vt, qui hodie Polonis regnat, *VLADISLAVM, SIGISMVNDI III* primigenã, Principẽ Moschouiæ verũ, perpetuumq; haberent, colerenq;: subditosq; se eiusdem Imperio æternùm profiterentur, iurisiurandi eisdem religione interiectâ. Quæ tùm vniuersæ Poloniæ exultatio fuit? qui non triumphi Zolkieuio decernebantur, pro Septemtrione detriumphato? Seruaui Rempublicã togatus ille Romanus Orator exclamare audebat; & fortunatam natam se Consule Romam: arma, togæ; linguæ, laurea cederet. Nihil ita insolens in Zolkieuio apparebat. Scipionum de Africâ & de Asiâ triumphantium secutus modestiam; cùm illum vniuersa Polonia Patrem Patriæ, Triumphatorem Moschouiæ salutaret, nusquam Reipublicæ deesse voluit. Interea *Sigismundi Tertii* felicitatem, & constantiam, in oppugnatione & expugnatione Arcis Smolenscianæ stupebat Europa; cùm in Septemtrione Moschorum, vel Babylonem, vel Carthaginem, & Borysthene fluuio, & muris ad miraculum, interclusam admirabili virtute disijceret. Liceat hîc mihi, bonâ cum veniâ, *Stadniciorum, Sapieharum, Potociorum,* & aliorum id genus, inferre quidpiam veri paradoxi. Attriuerat nimiùm Zolkieuius vniuersæ vires Moschouiæ, ad Metropolim gentis; proindè & Smolenskum finitimam Lithuaniæ campis arcem languere oportebat: tandemq; SIGISMVNDI III concedere virtuti, ad Annum millesimum sexcentesimũ vndecimum. Requiretur fortassè & hîc Zolkieuii præsentia? Ego verò abfuisse persuadere mihi non possum videri eum, qui Moschos suâ aliundè præsentiâ vrgeret; & exindè Turcas, & Scythas Patriæ hostes, sui nominis famâ in officio absens etiam contineret. Posteaquàm verò suas ad Polonorum nominis immortalitatem Zolkieuius partes in Moschouiâ satis superq; egisset; deinceps temporis, vt Argum insomnem pro Repub. & cento

10

& centoculũ ageret, ad fines Regni Patria desiderauit: quippè Militũ Confœderatorũ mole Respublica propè corruisset. Ita Anno Millesimo sexcentesimo duodecimo, Ecclesiasticis, Regi, & Capitaneis Regiis, bona ademerant, oppidanos, agrestes; insolitis exactionibus presserant: virum esse Zołkieuium oportuit. Quid ageret? Hinc miles iustissima Moschouiticorum stipendia præliorum requirebat: hinc pax publica, Regia Maiestas, Ecclesiæ, Patriæ pietas, præstolationem ingerebat. In viscera patriæ, Reiq; publicæ sæuitũ extremo sanguinis illuuio fuisset ab audacioribus: nisi quà cũnctando, quà soluendo, quà amnistiã indulgendo, efferatis, & ad funus Reipub. paratioribus, restituta, suoq; splendori & tranquillitati Respublica reddita fuisset: adnitente in optimam quamq; Reipublicæ salutis partem Zołkieuio, quamdiu in audacissimos non esset potestas tuta, Reiq; publicæ salutaris. Cæterùm tùm etiam abrogato flammis illo militari Confœderatorum sacramento, quandò perduelles esse non pauci desinere nollẽt, enituit militaris diciplinæ rigor. In palum agi peruicacissimos, quadripartitãq; laniená cruciari oportuit, ad suburbana Leopoleos; vt, etsi pœna illa ad paucos, timor tamen perfidiæ attentandæ in patriam, ad omnes eius perduellionis reos perueniret. Quieuisse Zołkieuii vigilantiam domi, foris, in sago & togâ, deinceps existimamus? minimè verò. Felicissimè augustam pacem Polonia sperauerat, post expugnatam ab Serenissimo Sigismundo, & Illustrissimo Zołkieuio Moschouiam: cùm ecce, occasione *Stephani Potocii* in Valachiam, non eoquo sperauerat euentu irrumpentis, suæ affinitatis in Principatu illo firmandæ ergò, ferocire insolentiùs Valachia, & Tartaria, cis Nestrinam regionem nostris visa. Non probari sibi semper aiebat rei bellicæ scientissimus Zołkieuius Dux eiusmodi ignes iugales, quos Bellona maneret pronuba: esse magis funestas recidiua in pergama Troiæ tædas: ad tales Patriam non esse impellendam pugnas. Equidèm se, vt hucusq; stetisset tela aspera contrà, iam & in Liuoniâ, & Valachiâ, & Moschouiâ, contulissetq; manus; nihilominùs experto crederent: aut exemplo Troianorum, qui Troiam; aut Græcorum, qui Constantinopolim amiserant; meminissent semper, cunctarenturq;, periculorum. Indoluerat casui prædictæ Familiæ, & in tutandâ Podoliâ olim, & in oppugnando Smolenscio expugnandoq; Viri. At non hic prouocati belli finis. Planè quod in Troiâ, ex Marone scimus, hîc fuisse meminimus: totamq; molem irritati Turcici Imperii, Zołkieuio, & cum hoc, Patriæ, Reiq; publicæ nostræ incubuisse sensimus, patefactis aureæ prædationis per Pokuciam viarum compendiis. Ac nè quis existimet, labem hîc Polono nomini à me inferri. Quod Tullius de Catone; hoc ego hîc de Polono nomine profitebor; Lucere etiamnùm, hærereq; apud optimi consilii quosq; in Republicâ viros, splendereq; per se semper, bellandi pro Christianitate Polonorum nomen; neq; vnquàm priuatis calamitatibus obsolescere. Nusquamne legimus pugnacissimorum Romanorum Capitolium, vix anserino gannitu seruatum? Non legimus iterum, in foro Romano, à Gallis Senonibus, Senatores Romanos in sellis iugulatos? Romano igitur animo Zołkieuius, (illo, quo Scipio alterâ portâ ab vrbe Româ ad oppugnandam Carthaginem ruebat, cùm alteram portam Annibal eiusdem Romæ obsideret) ad Tartaros ab excidio Reipublicæ deturbandos, vindicandosq;, ad extinguendum belli Turcici incendiũ, in campos Martios patentissimos descendebat. Quare castra primùm ad *Tartarzyscze* campestria, Tartaris supra irritatis, opposuit Zołkieuius vigilantissimus, quoquò versùm ad pœnas sanguinis repetendas secuturus viciniæ perduelles. Ac ne fugax hostis elaberetur Parthorum prisco more, aliam Auxiliariorum manum, è milite à *Fœdere* nuncupato ex Dictaturâ bellicâ Zołkieuius, ad *Manaczynenses* campos collocat, primam belli aleam, vt Iulius Cæsar consueuerat, ipsemet subiturus; faciliorem persequendi hostis rationem aliis relicturus. Cæterùm Tartarus non tàm rapiendi, quàm fugiendi, luporum genio, vix compos, non tàm euasit; quàm alteram Reipublicæ partem inuadendam sibi ab *Mezyrowo* designauit. *Baterbeius Galga*, seu Dux Tartaricorum exercituum, quadraginta millibus cum præesset, ab illius oppidi oppugnatione, oppugnare Poloniam decreuerat. Anno 1615. Adest eòdẽ cum exercitus Polonici quarti thesauri præsidio Zołkieuius: & vt adesset, effecit literis, primam palæstram Bellonæ habiturus *Thomas Zamoyski*, Cancellarii illius Ducisq; exercituum Regni *Ioannis Zamoysky Filius*, & ipse anno ab hinc altero, Cancellariatu & vitæ huius mortalis officio defunctus. Cuius Martium Tyrociniũ *Simon Starouolscius*, quia in Funebri Elogio adnotauit, verbis eiusdem fidei gratiâ rem hîc appono. *Stanislaus Zolkieuius Thomæ Zamoysky Tutor, Regni Poloniæ exercituum Dux, per epistolam, Thomam Zamoysky admonuit, vt tandem aliquandò puluere scholastico absterso, prætextam emancipatus indueret; compareretq; e Palladis triuio, in palæstrâ Bellonæ, magni Herois Patris sui exempla expressurus.* Nam ita, & Philippi nomen, Alexandrum; ita Maioris Africani gloria, Minorem Scipionem; ita Iulii Cæsaris fama, Octauianum excitauit. Quid igitur? scriptum à Zołkieuio Tutore, & exercituum Duce; factum à Thomâ Zamoscio tùm cliente, & in campo Martio primipilo, vel antesignano. Ab *Mezyrowo* proindè Szarogrodum versùs, non dubitauit Tyro adhuc in militari disciplinâ cum famosissimo illo barbarorum Duce, acie apertâ, ad *Stanislawouiam* (oppidum illud temporis Stanislai Zołkieuii) concurrere, Numinisq; fauore, & Zołkieuii vicino præsidio, sauciatum Baterbeium Galgam fulmine bombardæ per medullam dextræ manus ictum, abire iubere. Existimamus honori id & solatio Zołkieuio non fuisse? quando ita, & Dux Thomam Zamoyscium *ternis* ternis Gentilitiis sui Stemmatis Hastis fulminantẽ audiuerat, viderat, animauerat, formauerat. Sanè gaudeo ab eodem illo Scriptore, aliarum

aliarum etiam factam contra Machometanos expeditionum mentionem. Quomodò enim Thomas Zamoysky Pallados & Bellonæ aquilinus pullus, sine Tutore & Duce exercituum Zolkieuio compareret? Non erat ita sui præfidens, qui Marcellum agere vellet; cùm Fabium Maximum Cunctatorem, satis ad salutem Reipublicæ, & Ioannem Zamoysky Parentem suum recordaretur; & Stanislaum Zolkieuium Tutorē, militiæq; Regni Dictatorem, honore, quo par erat, prosequeretur. Iam verò etiam aliàs, an non idem Thomas Zamoysky, cum tot alijs Heroum filijs expeditiones Zolkieuianas contra Tartaros secutus? Deum bonum! quàm frequens, quà castrorum, quà pro Republicâ excubationum, quà dimicationum nomenclatura Martia illa percensenda mihi; vigilante vbiq; pro Republicâ Zolkieuio? Vix, imò ne vix, consopitis illis Reipublicæ perturbationibus, vrgebat Rempublicam nostram *Valachica*, *Scythica*, *Turcica illuuies*, *ab Michaele Wisniouecio & Samuele Korecio*, præter Regis voluntatem, offensiuè in campum Martium euocata, pro Palatinatu Valachico *Hieremiæ Mobilæ filiis*, quorum affines facti essent, restituendo. Atq; ego hîc, non succenseo excelso quos commememoraui Heroum animo, imò Martii pectusculi memoriam veneror, *Bucaciorum*, *Iazlowieciorum*, *Strussorum*, *Iuniorum Ostrogiorum*, extremi temporis *Zbaraziorum*, *Lasciorum*, numero, ære, animo celeriorum. Porrò *Tenczynios*, *Tarnouios*, *Sieniauios*, *Mielecios*, *Zamoscios*, *Chodkieuicios*, Reipublicæ vt Zopyros desidero. En vobis Epaminondā, en Themistoclē vbiq; Zolkieuiū, nunquā illi amore Patriæ licuit esse otioso. Ad *Mogilnicam* castris fixis ita aderat tum, vt Machometanæ furiæ, cùm nihil sibi spei Zolkieuio excubante censerent superesse; *Chocinense* receptaculum emendicare à Republicâ maluerint, quàm vel tantillum audere oppugnare: imò perpetuā se, sanctiúsq; pacem ita demùm seruaturos professi. Multa mihi breuitatis causâ prætereunda sunt consultò: illud præterire nec possum, nec debeo, expeditionis Zolkieuianæ trophæum. Viderat Turcicus Imperator, & Tartaros crebriùs ab Regno Poloniæ depulsos profligatosq;, & strenuè cordatos esse Polonos, etiam singilatim, vt Scæuolas contra Porsennam certaturos; atq; vt est Turcicorum Tyrannica Cæsarum cupiditas occupandæ quaquauersùm Christianitatis, ita Annum Millesimum sexcentesimum decimum sextum delegerat, ad Poloniam suis immanissimis exercitibus pessundandā. *Skindero Bassæ* negotium datum, maturaret facinus; militatem Imperatoris personam gereret: nec tàm militē conscriberet, quàm Europæ & Asiæ finitimas vires tributim viritimq; educeret. Quicquid igitur masculorum in Thraciâ, Romaniâ, Volgariâ, Seruiâ, vniuersi capitatim censi, trans Danubiū admoti. Hinc Valachiæ Hospodar seu Regulus in armis adesse compulsus: indè Moldauiæ Proconsul suos sub signa Turcico mandato exciuit: aliundè Princeps Transyluaniæ *Bethlē Gaborius* ab Hungariæ Alpibus irruebat. Deniq; ab Ponto Euxino vniuersitatis

uersitatis Tartaricæ colluuies, *Kantimiro* Exarcho, quisq; prose, viam pontemq; suo Turcico in Poloniam Tyranno facturi, vno impetu ita dispositi videbantur. Vigilare hîc oportuit Zolkieuium Poloni exercitus Ducem, non in alio signo, quàm Constatinus Magnus triumphaturum: vel sui capitis obiectu, iter Machometanis in Poloniam interclusurum. Comparuit verò ad littus Nestri, seu Tyræ, Zolkieuius; nè pedem hosti inferre suæ in Reipublicæ glebam permissurus. Comites expeditionis adsciuit *Georgium Zbarazsky*, tum Incisorem Regni, post etiam Castellanum Cracouiensem: nec non *Hieronymum Sieniawsky* Pocillatorem Regni, cæterosq; Poloniæ, & Russiæ Nobilitatis Viros, communis salutis studiosiores. Castra nostrorum in campestribus ad *Bussam* collocata. Quid interea Turcicus Prorex *Skinder Bassa*? In Zolkieuio Manlios, Capitolinos, Camillos, Fabios, Africanos, videre sibi visus; moxq; demissis auriculis, Mahometanæ furiæ elephas, non asellus, rectè secum actum iri censuit, si saluo sibi per Danubium redire liceret. Pacis conditiones vltrò citroq; Turca cùm deferret; ab Zolkieuio, Illustris togâ & sago vir *Petrus Ozga* Capitaneus Trebowlensis, postea Regni Referendarius, caduceator datus, ex re & dignitate Reipublicæ, belli illius tempestatem auertit: ita, vt Skinder Bassa suo Tyranno referret, esse in Poloniâ, & virôs, & vires, contra Turciam: sed Christianos seruandarum induciarum religione sanctiùs, quàm Machometanos teneri. Equidem si ex mente Zolkieuiani animi miles Reipublicæ Polonæ viuere suffecisset, quà æstiua, quà hyberna, quà verna, quà autumnalia statiua, in campis, sub dio, sole, imbre, Ioue gelido viuere debuisset. Hospitari, peregrinari, bellare, dimicare, pro diuersorio assueuerat Zolkieuius; vt non mirum sit, militarem eum vitam & mortem suscepisse: eamq; alijs verbo, re, exemplo, Dictaturâ Ducis, suadere voluisse; etiam ipsi Filio suo vnigenæ *Ioanni Zolkieuio*: quem Pater, vt primum licuit à Pallados exercitamentis humanioribus, & scientiarum propè vniuersitate, ad Martis palæstram, Phœnicem Reipublicæ, vnicum deuouit: & ne ociosè esset alumnus Patriæ, Capitaneatu Hrubieszouiensi donatum, *prælia, mox natum, secum per singula duxit, incenditq; animum famæ crescentis amore.* Pari ratione, & ex Fratre Nepotes hæredes in Brody, *Adamum Zolkieuium* iam castorum metandorum Præfectum; *Lucam Zolkiewsky* Kalusiensem Capitaneum, à prætextâ Pallados, ad paludamentum Martiale; à togâ, ad sagum eductabat; Aquilæ Polonicæ non degeneres, gesturos pro vero tela trisulca Deo, aduerùs Regni & Ecclesiæ hostes. Quisq; Zolkieuiano Sanguine prognatorum illud affectabat, expetebat; *Menè igitur socium summis adiungere rebus dissimules, ô Genitor! ô Patrue!* At, vel in primis ad Ioannem Zolkieuium, verbis illis vsus Pater videtur. *Te verò ô Ioannes Fili, iam pridem pectore toto occipio, & comitem casus complector in omnes. Nulla meis, vel hâc ad Septuagesimum annum declinante ætate, sine te, quæretur gloria rebus*, seu

bus, seu

*bus, seu pacem pro Republicâ, seu bella geram, tibi maxima re-
rũ experimenta, & exercitamenta dabo.* Ad quæ Parentis, Exercituũ
Ducis verba; *Ioannis Zolkieuii* Filii paria fuisse concipio; *O Pater,
& me nulla dies, tàm fortibus ausis dissimilem arguerit: fortuna se-
cunda, aut aduersa cadat, audentior ibo in casus omnes.* Atq; ità
ante annos, animumq; gerens, pectusq; virile, eiusmodi se Ioannes
Zolkieuius probauerat semper comes paternarum in hostes Christia-
nitatis expeditionum. Interea Turcarum Imperatores offensi Po-
lonorum in Valachiam incursionibus, ad occupandã Poloniam cum
Asiaticis & Europæis suis festinabant. Rerum non ignarus Zolkie-
uius, impigrè aduolat cum exercitu Polono, Kamenecium inter &
Skalam, in campum Martium latè *Orininum*: tùm, ne defuturus præ-
lio hostili ad fines Regni ab Valachiâ vicinâ existimaretur; tùm nè
Barbarorum immanitas in visceribus ferro & igni ciues Patriæ rima-
retur; tùm vt si concordia nostratium esset, aliorumq; vicinorum
Principum Christianorum, exindè statim alterum pedem trans ripam
Nestri in Turciæ oram cum exercitu inferre nulla mora relinquere-
tur. Eundem in locum, eademq; in castra Heroes Regni, nec pau-
ci, nec infrequentes euocati fuistis *Zolkieuiani* animi constantiâ,
rerumq; ab eo semper præclarissimè gestarũ magnitudine. At vti-
nàm, ô tempora! ô mores! animorum etiam, nedum corporum,
& copiarum suarum quisq; consensione ad seruandam Patriam, ho-
stesq; ad internecionem propulsandos affuisset. Memoriam temporis
illius appello, adfuisseq; non nego *Ostrogios, Zbarazios, Lubomirscios,
Potocios, Kalinouios, Thomam Zamoscium, Tarnowios,* cæterosq;
principes Nobilitatis Polonicæ Viros: sed totidem copiarum Duces
belli occipiendi, non prosequendi, profiteor adfuisse. Dictator belli
exercituum Dux Zolkieuius vt socius magis fieret aio, præsentes oc-
cultis dissensionibus ita voluisse. Pugnaret Dux; occumberet Dux;
quosq; tumultuatim, vt Athlantes Rempublicam sustentaturos spo-
pondisse. Si campi Orinini proloqui potuissent, aut querceta illa, tor-
rentesq; ob discordiam nostratium, cum Patriâ, eas in voces erupis-
sent. Quid agitis Poloni Heroes? discordiâ res maximas dilabi
ignoratis? Ducem Dictatoremq; belli exercituum, Patriæq; conserua-
torem, vt militem gregarium occumbere, in votis est vobis maximis?
Itane, vt olim apud Agrippam Liuianum membrorũ compages capiti
bellum indicitis? Vltimus ille dies bello, Russisq; fuisset, cometâ for-
tassè fatale quid discordiarum illarum portendente: Discordia eò
Ciues Patriæ perducebat! Vos illi tumuli antiqui Orinini dissensio-
nis testes: cùm hinc Tartarorum Murzæ: indè *Deulet Gereius Galga*
immanitate suorum immineret; iamq; *Thomæ Zamoscii* Heroicam
D. Parentis sui virtutem æmulantis copiæ vix Tartaros incre-
dibili mole ingruentes sustinerent; discordes copias nostrorum, se-
parataq; castra occupâssent: si non Zolkieuium, alterum Paulum Æmi-
lium, & Fabium Reipublicæ cunctabundum formidâssent. Marcel-

los certè ferocientes in pugnam vel abduxissent; vel senioribus belli
Ducibus parere docuissent. At enimuerò præliari desiderâstis? fateor.
Sed quæ, per Deũ immortalẽ, spes vincendi fuerat? Imperatoris belli im-
periũ agnoscere recusantibus plurimis: dùm quisq; pro se Epaminon-
das, & Agamemnon esse ambit, ingeminante suis barbaris hoste, vix in
Polonico exercitu, si decadi Tartarorũ oppositi congresi fuissent, sin-
gilatim Polonos suffecturos fuisse. Profectò Diuino illi viro Zolkieuio,
illud ipsum pulchrum mori in armis cordi erat semper, vitamq; pro
fide & Republicâ Christianitatis pacisci. Vnico phœnice belli con-
siliorum desiderato; sed illiconè renasciturum alterum visuri eratis?
In Ducem vnicum quempiam, Marte sæuiente, & ex momentis to-
nante, fulgurante, fulminante, diuina humanaq; permiscente, in
Galga Dewlet Gereio consensuri fueratis? O famâ ingens, & consilio
Zolkieui! semper honore, semper celebrabere voto Poloniæ vniuersæ.
Perditam Rempublicã, perditam vidissemus nostram, sine Cuncta-
tore Zolkieuio. Sed quid dico vidissemus? imò periissemus, nisi inuictâ
tuâ, ô Zolkieui, Rempublicam, Christianitatemq; seruandi constan-
tiâ, Fabiorum Maximorum salutari exemplo, abduxisses aleam belli.
Seruâsti igitur seruâsti, ô Zolkieui, tunc Patriæ Diuinum illum Ci-
uem & magnanimũ Heroẽ *Thomam Zamoscium,* Diuini *Ioannis Za-
moyski* Cancellarii Filium, & ipsum postea Maximum Cancellarium.
Seruâsti & illos vel tuæ gloriæ inuidos, vel Patriæ incolumitatis
aduersarios, vel iuuenili generositate præliandi cupidiores Iuuentutis
Poloniæ *Principes Ostrogios.* Seruâsti, vt semel dicam, quod sentio,
Rempublicam vniuersam. Liceat enimuerò mihi hîc de Zolkieuio
sentire illud ipsum, quod Romana Respublica de Fabio Maximo
sensit Cunctatore. Nam Tartarorum *Dewlet Gereius Galga,* Anno
1618, cùm videret Zolkieuium, ab suorum immani multitudine, vt
pelagi rupem inexpugnabilem, etiam apertissimo in campo Martio
Orinino; facilè abscessu suo maturato significauit, non Marcellos in
bella ferocientes; sed Zolkieuium cunctantem, timori sibi suisq;
Tartaris fuisse. Abiit ergò summâ cum ignominiâ Scythicus Galga:
imò excessit, erupit, euasit; relaturus suo Otthomanico Impera-
tori, Zolkieuium Regni Poloniæ Seruatorem exercituum Ducem, suo
conatui, imò Turcicis & Tartaricis exercitibus, potentiæq; Macho-
meticæ, ad *Orininum,* iter in Poloniam occupandum præclusisse:
pedemq; ita posuisse, vt ne Archimedi fas esset Poloniam solam
loco, nedùm Christiani orbis terrarum sphæram commouere,
saluo & incolumi Zolkieuio, Bassæ Turcici Imperatoris Senato-
res aiebant, saluum & integrum esse, foreq; Regnum Poloniæ: si
quid *Osmanus* Turcicus Imperator præsumeret Otthomanico Ma-
chometismi enthusiasmo, vt Hercules furens sciret, crederet, req;
ipsâ experiretur, non nisi per cadauer Zolkieuii cunctando Bellatoris,
bellando Cunctatoris, in Poloniam, exindeq; Christianitatem iter
Turcicæ tyrannidi patere. Vigilandum vbiq; fuerat Zolkieuio,

in tantâ vastitate finiũ Regni conseruandorũ. Exindè illi indefessa paulò
post ad *Pawołocz* contra hostes occursandi ingruerat necessitas, vbi ca-
stris iactis itũ est obuiam, festinantibus in excidium Reipubl. Tartaris.
Subindè ad *Tatarziſſcze*, reciprocum castris locum, euolandũ fuerat;
nè quid Ciues Patriæ paterentur incommodi, Valachis & Machometa-
nis viciniores. Quid ita? quia dies noctesq; illuuies Turcica & Scythica,
Regno Poloniæ, vtpote Antemurali Christianitatis, insidias machina-
tur. Quarũ non multò post Turcicarũ in rem Christianã machinationũ
certior *Gratianus* Valachiæ Palatinus, ab Danubii ripâ, viginti millia
Valachorũ spondet: seq; cum iisdem in acie appariturũ; si Zołkieuius
Polonorũ nomine, suum illi auxiliũ, bello contra Machometanos occi-
piendo, producendo, perficiendoq; dare vellet. Hîc, vt breuiter expo-
nã; aio Zołkieuiũ rationẽ belli ex Valachiâ contra Turcicũ Imperatorẽ
ordiendi (quod *Casimiri Magni*, *Iagellones*, *Sigismundi Primi*, toti
Christianitati censebant semper reseruandum) non ignorâsse. Porrò, vt
interea vicinæ patrocinaretur Valachiæ, exemplo, & iure antiquo Regni;
in eandemq; viciniam, per Danubium, Turcas suæ Patriæ viciniores fieri
non sineret; nec non Tauricã Chersonessum, Oczakouianos, & Pereco-
penses, Crimensesq; Barbaros, in officio pacificæ vicinitatis contineret.
Optanda ista quidẽ priùs; quàm speranda. Quid nihilominùs faceret
Zołkieuius, contra Europæam barbariẽ Machometicã pugnaturus? Va-
lachiâ, & Moldauiâ, Danubiiq; accolis, Poloniæ auxiliũ desiderantibꝰ,
spondentibusq; suâ pro parte militẽ affuturũ, quotquot Christiano no-
mine ad Danubii seu Istri vastisima littora censerentur. Occurrebat Da-
nubiũ, contra Turcas ad dexterrimè præliandũ: castra ad ripam eius flu-
uii discriminantis Barbaros ab Christianis metanda: Troianis effæmi-
natius molliusq; esse Turcarũ genus. Viderat adhæc Zołkieuius, se fidei,
Reipublicæ, & Christianitati opem imploranti, nec non suæ Patriæ, su-
orũq; saluti; & gloriæ obligatũ obstrictũmq;. Nouerat aliquandò Princi-
pes in Republicâ, opibus & suorũ comitatu potentiores viros, quos sibi
virtus & gloria æmulos comparauerat, cunctationẽ sibi iustò maiorem
in belligerando obiecisse. Tenebat propè ad conflandã suo nomini in-
uidiam, Regiæ Maiestatis Aulam, & nonnihil Senatorii Ordinis Viros,
rumoribus ante salutem ficti prauiq; tenaciorībꝰ aures dare. Quamo-
brem concipit excelso Christiano animo, testificandæ fidei suæ Impe-
ratoriæ suũ tempus aduenisse: se, qui Christianitatẽ saluã cuperent, se-
querentur; pro virili se, Christiano Principi Valachico, & in eo Christia-
nitati, deesse nolle: Turciam, & Scythiã non irritari; sed perfidos contrà
toties factos, pro fide & Patriâ, se rem Christiano Duce dignam aggredi:
Imperatorem esse, qui pro Republicâ staret, pugnaret; & si ita res ferret,
occumberet. Machometanos, vel sua Christianis vltrò concedentibus,
nunquàm fidem seruaturos; in opportunitatẽ opprimendæ Christianita-
tis vigilaturos. Deniq; vnicum sibi septuagenario in votis, vt scuto su-
per, campo Martio, æui & victoriarum satur, referatur Laconum
Christianorum more, restare. Cuius animi Zołkieuiani incorruptos
testes

testes Reipublicæ huius, Sagatos, Togatos, & Senatorios Viros, appel-
lare possem; nisi re ipsâ, qualem conceperat, se exhibuisset. Hinc
illi, propè illa ipsa verba; *Quicquid in arte meâ, possum promittere
pugnæ, absistite viribus indubitare meis. Non vlla laborum noua mî
facies inopinauè surgit. Omnia percepi, atq; animo mecum ante perce-
gi: facilis iactura sepulchri. Est hic, est animus lucis contemptor;
aduersum fidens fero pectus in hostem. Mihi non optimè volentibus,
sit copia fandi. Bella manus poscunt: possit quid Lechica in Zołkieuio
virtus, fiat Patriæ & Christianitati palam.* Itum impigrè est in Va-
lachiam, trans Tyræ, Sereti, Pruti, Dzizæ, fluuiorum Valachicorum
vortices: superata syluæ fagineta Bukowianæ. Exigui numero, vix
quater mille vniuersi; sed bello viuida virtus. Zołkieuio enim Duce,
meminerant expeditionum comites, satis superq; suos victores sem-
per aut rediisse, aut nihil de sui & Poloni nominis immortalitate hosti
concessisse. *Triginta leucas* longe lateq; in Valachiæ viscera, Tur-
cici imperii regionem, duxit exercitum Polonum Zołkieuius, hi-
scente nemine: Turcis tamen, contra occultiùs, ab Danubio; Tar-
taris, ab Ponto Euxino, multitudine incredibili sese glomerantibus.
Nostratibus castris gemino milliari *ab Iassio*, Meropoli Valachiæ, in
campo Martio, ad *Cecoræ* vastitatem, locus cessit. Exindè ita Turciam
permistam illic, & Tartariam contrà pugnatum est, Anno 1620: ad
stragem Tartaricorum cadauerum quadragies mille, & Turcicorum
vix minùs, sanè ad miraculum. Incredibilis Barbarorum multitudo,
dici vix potest, animis & corporibus quàm deficiebat: nostrorum
nihilominùs exercitui modico, illuuie vix auditâ vnquàm propè in
cumbebant; armentorum etiam greges boatibus tormentorum belli-
corum Nostratium opponebant; nè simul vniuersi, quà globis, quà
hastis, quà acinacibus interirent, nunciiq; suæ cladis saltem rema-
nerent. Ita tùm fulminabat cum exiguâ suorum manu Zołkieuius: ac
vltrà Danubium disiecisset illud Cyclopum Turcicorũ & Tartaricorũ
genus, nisi degeneres quorundam centuriæ integræ, cum Chiliar-
chis, tali loco, & tempore, si non ante tubam, certè vix post tubam
turpiter abiissent, erupissent, excessissent: belliq; aleam difficillimam
turbatissimamq; reliquissent Zołkieuio. Nox illud prælium victorio-
sissimum diremerat: ergò tenebris ad abscessum vsos non paucos, quis
credat? Ita olim ab Haliciensiũ oppugnatione, timidior quispiã pelliculâ
leporinâ, & fuso & colo, muliebris fugæ ergò donatus, prærogatiuâq;
Sellæ Senatoriæ exauthoratus, *Boleslai Chrobri* Regis Poloniæ qua-
dragies septies victoris, victoriarum finem obscurare, & colophonem
labefactare voluit. *Deditur hic subitò rumor* deficientium per castra
primipilorum. *Quid Valachi facerent meliores fideliores q;?* cùm
ita fædè nostri, Lechiadasnè dicam? dilaberentur. Equidem viginti
millia Valachorum, ad famam vulgandam, non bellum prosequen-
dum, promissa; nec vt Valachica mobilitas animorum est, sub signa,
nisi sparsim euocata, ita *Gratianum* suæ Valachiæ Principem, ante

periculum

periculum deseruerunt, & excutiendo Turcicæ iugo seruitutis defecerunt. Maior residuis periculo, *it timor & maior Martis iam apparet imago. Collucent ignes, noctem custodia ducit insomnem: funditùs occidimus*, timidiorum tessera, audiebatur. Excitatos hîc cupio vniuersos Christianos, ad Zołkieuii vigilantiam, & Diuinum in eiusmodi suorum procellâ inuictumq; animum. Hic enim Zołkieuius, & in suis retinendis, & in hostibus propulsandis, & tempestate nocturnarum tenebrarum dissoluendâ totus, meminisse iubet vniuersos, se suosq; Lechiadas, pro Deo, Patriâ, Christianitatis bono, hûc Martio animo conuenisse; eodem authore salutem sperandam: excordes lepusculos excessisse, ceruosq, fugaces abiisse: Leonidas, & Leones, si Deus annuerit, superesse. Eandem vicem bellis in Romanis, Græcis, Babyloniis, Persicisq; fuisse. Deum Optimum Maximum manus, animosq; ministraturum: Quod vobis, æmuli mei optârunt, adest. In manibus Mars ipse: nunc Dei, Patriæ, Christianitatis quisq; memor, magna referto facta. Ita tum nunc prece, nunc dictis, nunc animis, virtutem Zołkieuius Dux in suis accendit. *Per vos, & fortia facta, per Regis Sigismundi nomen, deuictaq; bella, spemq; Dei, patriæ laudis, fidite ne pedibus: ferro rumpenda est per hostes via, quà globus ille Skinderi Bassæ Turcici, & Galgæ Tartarorum densissimus vrget, hâc vos, meq; Ducem vestri, Patria ipsa reposcit. Numina nulla premunt: mortali, imò barbaro, Machometano, vrgemur at hoste. Totidem nobis animæq; per omnes, manusq;: non vnum claudit nos littore flumen. Sunt illis sua funera. scilicet hostibus nostris, parq; per omnes tempestas belli. Vsq; adeone mori miserum est. O mihi Christianorum Duci qui superestis estoboni! Sancta quò Deus vocat anima, atq; illorum transfugarum inscia culpæ, descendam, priscorum Lechorum haud vnquam indignus Auorum. Profugos incuso, & Patria, Deusq; mecum. Vestra ô residui comites fortissima generosissimaq; pectora, potuit quæ plurima virtus esse, fuit. Toto certatum est pectore. Spem, si quam in Valachiæ, & Nostratibus refugiis habuistis; in armis ponite: spes sibi quisq;. Sed hæc, sine Deo Optimo Maximo, quàm inanis, pridem didicimus. Bellator Deus adsit, animis, & dexteris; ibo animis contrà, & vestrûm quisq; præstet Achilem.* Quid multis? Cordatissimi comites vtriusq; fortunæ, in primis, vnicus ille Zołkieuii *Ioannes Filius Hrubieszowiensis Capitaneus*; itidem ex Fratre Nepos, *Lucas Zołkiewsky Kalusiensis Capitaneus*; mox *Balaban, Capitaneus Trembowlensis*. Hinc *Stanislaus Kazanowski Capitaneus Bohuslawiensis*, Castellan° tunc Haliciensis, posta Palatin° Podoliæ, tandemq; exercitus Regni Dux Cāpestris; deniq; *Strus Capitaneus Chmielnicensis*; cæteriq; pauci, nequaquā se ab Duce exercituū Generali vllo in casu testati defecturos: sed cum vtroq; Duce, *Zołkieuio* scilicet, & *Koniecpolio* bellicæ Dictaturæ Collegâ, Deo, & Patriæ integerrimè fidelissimos fu-

turos, proq; vniuersâ Christianitate, vel mortē pulchrā in armis; vel honestam seruitutē, etiā Regib°, & Imperatorib° Sanctissimis, Potentissimisq; fatalē, passuros: agere, & pati fortia, non modò Romanorū; sed etiam fore Polonorū. Quid verò cum residuis huiusmodi Zołkieuius? Videbat, Turcico & Scythico non esse fas fidere monstro. Dies noctesq; inter hostes, aliis atq; aliis succedentib° imminutū suorū numerū cùm haberet, iam duas per hebdomades; geminatâ vtrinq, iunctim, seriem in longiorem, productâ curruū farragine, præcedere validiores, medio succedere tutiores; latus dextrum illos, sinistrum hos seruare; adextremùm designare, qui tuerentur suorum superstitum extremos; suas cuiq; paucitati residuæ excubias iniungere. In curas conseruandorum omnium diducitur omnes; ita nihilominùs, vt ad sui defensionem admirabilem incumberent vniuersi, quoquouersùm dispositi, & hostium agmina mole suâ in paucitatem nostrorum irruentia longè lateq; disijcerent. In assiduitate dimicandi, caput quietis causâ nusquàm, impendente Turciâ & Scythiâ deponere; oculosq; labori & dimicationi aut manus necquicquam suffurari licebat. Sua quisq;, in exemplum miraculi, indefessus munera militaria pugnando obibat; adeò diurna nocturnaq;, iam inde ab ingressu in Valachiam, nullam dabat illa pugna continua Nostratibus quietem. Cæterùm, quod posteritas miretur, ita inter illam Turcicorum Tartaricorumq; exercituum inundationem totâ vi contrà nostros paucos ingruentem diebus noctibusq; tempestatem, inter illorum Machometicorum luporum vrsorumq; immanitatem, per integerrimas duas hebdomadas, quatuordecim dies scilitet, continuato ortu & occasu, totidemq; noctes, inter centena millia hostium, fame, siti, somno, perpetuis per momenta repulsionibus, tantorum hostium defatigati, Deo Optimo Maximo propitio, Deiparâ autem Virgine, Diuisq; patrocinantibus, salui atq; incolumes, licet non omninò integri, spem omnem penitùs, & omnem, disturbandorum suorum, Duce, Traduce, Reduceq; Zołkieuio, Turcis inuolantibus, frustra ingruentibus & Tartaris, excusserant. Deniq; ab *Cecorâ* validissimè Poloni nostrates pauci continuatim oppugnati ad ripam Tyræ, seu Nestri, per hostium regiones, quasi postliminiò armatâ vigilantiâ, constantiaq; Zołkieuii inuictâ regressi Nostrates belligerando; nec tamen expugnati facilè, aut vnquam deinceps expugnandi, visi sunt Turcis & Tartaris numerosissimis, & ad obstinationem tum pugnacissimis. Rem in pauca contraho. Receptui suorum, trans Danubium, & Pontum Euxinum, scilicet, Turcia, & Scythia suo barbarico barritu sonabat raucum quiddam. Zołkieuius pariter Deo Optimo Maximo, Cælitibusq;, suam, Patriæ, suorumq; fidissimorum comitum, dixero veriùs, Commilitonum, acceptam referebat salutem. Vno alueo Dnestri, ab Polono limite & littore, solummodò distare se Dux noster, suosq; videret, gauderetq; cum Filio *Ioanne*, Nepote *Lucâ*, Zołkieuiis; *Koniecpolio*, Collegâ Dictaturæ

militaris, *Balabano. Kazanouio, Strusso*, prolusisse, tunc se, suosq; illos paucos, Martiale quiddam censebat, Turciam inter, & Poloniam, regnante *SIGISMVNDO III* Rege felicissimo. Porrò propediem accitis reliquis ab sarcinis Poloniæ, eodem adhuc anno, aut ad summum consequenti, cum Turciâ & Tartariâ, vniuersæ Poloniæ, imò vniuersæ Christianitati, dimicandum esse de vitâ & Imperio: ab se septuagenario iam Clymactericos præuideri, maturo sanè præsagio prouidentis quoquouersùm prudentiæ. Tutissima illa, (hostibus nec iam apparentibus ampliùs) statio ad ripam Tyræ Nostratibus, horarum aliquot visa: cùm ecce, quod ille questus est apud Romanos, *teritur bellis ciuilibus ætas, suis & ipse viribus Lechus ruit.* suis illa inexpugnabilis Nostrorum constantia, (imò non sine sanguine victoria) ruit viribus. Auidiores littoris alterius abuectare iuuat prædas, gaudereq; rapto; pro se quisq; equos, arma, suis spolia emungere; Tyræ fluuij vortices cupere transuolare; tardum esse, transuadare. Non tàm ex penuriâ, aut temporum iniuriâ, quàm rabie magis sæuire famulitia in suos heros: iam sibi se stipendiorum præmia, pro arbitratu designare, diuidere, vendicare. Hic verò increscunt magis animis discordibus iræ: sæuit amor ferri, & scelerata insania cædis. Hêm quò discordia ciues perducis! *Quis furor iste nouus?* intonat Zolkieuius, *quò nunc præcipites, quò tenditis? Non hostem, inimicaq; castra Turcarum, Tartarorumue; sed vestras spes vritis. En ego vester Zolkieuius: Cælum hoc, & Nestri vortices fluuij testor. Turpe nefas, vos, & triste manebit supplicium: sacrilego excordes pendetis sanguine pœnas discordiæ vestræ. Heû non Turcicis, nec Tartaricis frangimur consumimurq; procellis: sed per nostrorum vecordem discordiam, pessum Mauortis eunt res. Me, si iam mea fata vocant, metasq; circumscripti ad æui perueni; quod fuit in votis, fiet, quod sæpè petiui. Hîc mihi certa quies, vitæq; in limite Regni portus: hîc liceat deponere vitam; sed famam extendere factis.* Quid pluribus persequar? Hostis auxiliares copias Polonis ab littore superuentare ratus, dùm cælum tonat omni bellico fragore tumultuantium, ventis ocyor alis, rem explorat; discordiâ vti Nostratium decernit. Zolkieuius porrò fortissimus inuictissimusq; Imperator, vbi non est retinere Magistros & Ministros militiæ, sæuientes in suæ Patriæ viscera armis discordibus: optimæ fidei erga Rempublicam obtestatus paucos trecentos, aut quingenos, pro Deo, & Patriâ, exemplo suo emori, non tàm monet, quàm docet: se scilicet cum optimis, & Reipublicæ fidelissimis, in Barbarorum terrâ, pro fide & Patriâ, victimam bellare, bellâsse, & mori. Nec mora, belli dat buccina signum: ordinem paucitas mox effecit, & cruda viro, viridisq; senectus Ducis Zolkieuii, qui thorace chalybeo indutus, galeâ caniciem premens, accinctus ense, ad quoscunq; suos confirmandos seruandosq; armis fulminans, toto corpore, & pectore hostes suprà est. Densis vndiq; telis vrgentinumeri

numeri Otthomanidæ Nostros: pugnatur cominùs missilibus. Audendum dextris, nunc ipsa vocat res: fit via vi patefacta per hostes. Sanè ibi Zolkieuius Dux, nequaquàm vllâ vi, de Martiali statione mouetur. Vt pelagi rupes, magno veniente fragore: ita ab Zolkieuii cum paucis suorum virtute, repellitur Tartaricus *Galga*, cum suorum illuuie incredibili. Ferro ancipiti vtriq; vtrinq; decernunt: atraq; longè horrescit strictis seges ensibus. Zolkieuius ipse proxima quæq; metit gladio, densum latumq; per agmen Barbarorum, latè inualescentem tempestatem propulsat ferro. Te Galga Tartatorum, & vos Murzas Machometanos cæde nouâ, & fortassè extremâ quærens, plurimâ grandine telorum, densisq; vulneribus aduersis obrutus Heros, *Ioannem* Filium, & *Lucam* Nepotem, Zolkieuios, tum *Koniecpolium*, & Generum, & belli Socialem, Reiq; Publicæ Ducem, testatus, durarent: Reipublicæ nusquàm deessent; testesq; Christianitati sui pro Deo & Patriâ occasus superuiuerent. Hostes frequentissimi circa Ducem nostratem, ceu circum sæuum turba leonem, telis furit infestis: ille diù potis est per tela, per hostes; sed cùm nec sufficit, vmbo ictibus, galearum solidaq; æra fatiscunt; & nulla datur Turcicam Scythicamq; exsuperare potestas illuiem; Dux Noster Zolkieuius, Triadem & Deiparam, Cælitesq; iteratò testatus, cælum versùs, productis cum pollice duobus digitis; *Esto mihi nunc testis Deus, & Diui nunc nostra extrema secundent.* Vix ea effatus; cùm ecce infundentis se suâ mole hostium exercitus telis vndiq; ingruentibus obruitur, immortali & vitâ & memoriâ Dux dignissimus Zolkieuius. Ibidem, in confertissimâ barbarorum immanitate, Duci nostro partibus aduersis hùc caput, atq; illùc conciditur, humerosq; propè resectum tenùs comperitur. Quid pluribus? Curtius hic Lechorum, Codrus Polonorum, Godefridus Sarmatarum, Bellisarius, Gallicanus, Mauritius, Eustachius, (verbo) *Stanislaus occubuit Zolkieuius excituum Regni Dux, & Cancellarius.* Trunco corporis non nisi inter cadauera comperto, ex aduersisque cicatricibus priscorum bellis prioribus vulnerum agnito, nec non manibus dexterâ illâ, & sinistrâ ad septuagsimum annum ætatis Martialiter fulminantibus, concisis laniatisq; crebriùs ac crudeliùs, sed ad posteritatis memoriam gloriosiùs, A. Millesimo sexcentesimo vigesimo. O diem sextum Octobris Patriæ luctuosum! Zolkieuio ita pro patriâ occumbenti, gloriosum! postequàm *vicenas ternas victorias*, totidem conflictibus exanthlatis triumphalibus, superiori vitæ suæ tempore Patriæ reliquisset. Caput à ceruice resectum vidisti Bizantine Turcarum Tyranne. Vidisti, spectasti, & ingemuisti, viros adeò fortia pati Christianos: & in spem occupandæ Poloniæ, è vi, uis sublato Zolkieuio, anno insequenti venisti. Sed frustra: in frustra quam, per septenniũ supellectili bellicâ apparatâ, ab extremis Arabiæ desertis, euocatis per *sexcentas Leucas exercitibus, sexcenties millibus ad Chocimum recensitis,* superiectis pontibus Danubio, & Tyræ.

 Terrebaris

Terrebaris nihilominùs *Osmane* Turcarum Tyranne, Stanislai Zołkieuii Piis Manibus; & ab Chocimo, non nisi alueo Nestri ab Regno Poloniæ segregatus, per Danubium, quà veneras, in tuam Bizantiam, auream tyrannidos speluncam, vt inde veneras, rediisti, amissis ex tuo exercitu, dum Poloniam deuorare apparas, *ter centenis millibus*; factus & ipsius tuimet Imperatorii iuguli impos, vel inter aurea palatia Imperialia conseruandi. Indoluit fateor Reipublicæ Polonæ vehementer, Zołkieuium occubuisse: sed indoluit Reipublicæ Polonæ, & verò Christianitatis causâ vniuersæ. Gloriosissimum nihilominùs Zołkieuio, ad posteritatis memoriam ita occubuisse. Gloriosum, Filium eiusdem comitem bellorum, & seruitutis barbaricæ pro Republicâ mancipium factum *Ioannem Zołkiewsky*. Gloriosum, & Nepotum ex fratre *Lucam Zołkiewsky* pro Republicâ, belli & seruitutis incommoda expertum, ita dimicâsse Gloriosum, & in Genero fortissimo *Stanislao Koniecpolsky* seruitutem adiisse, pro Patriâ; iterumq; postliminiò reducem (opera Præfecti stabuli Regii *Christophori Ducis Zbarazy*) & Tartaros contra sæpiùs, & in rebelles *Kozakos* Græcanicæ fidei perduelles & in Prussiâ, *Gustauum* furiam Suedicam aduersùs; & ad Kamenekum in Podoliâ, contra *Abbazy Bassam* Turcicæ tyrannidis paucis ab hinc annis incentorē, castra castris contulisse, & nè tantillū potentiæ Turcicæ concessisse: Leopolim, quæ Serenissimi Regis pietatas in Rempub. Christianā fuerat, ab Moschouiâ & ab Smolensco Moschorum obsidione vindicato, *VLADISLAO IV.* Rege Felicissimo & Bellicosissimo contra Turciam aduolante. Equidèm in Genero suo Illustrissimo *Stanislao Koniecpolsky* Cracouiensi nunc Castellano, exercituum Regni Duce supremo, superuiuere mihi felicissimè videtur Zołkieuius. Imò, ab Zołkieuiano occasu, pullulâsse mihi viri fortes meliùs, quàm à Cadmo ossei seminati videntur; *Chodkiewicii*, Zołkieuiani animi æmulatores, *Lubomirscii*, *Sieniauii*, *Thomæ Zamoscii*, *Ianussii*, *Hieremiæ*, *Wisniowiecii*; *Kazanowii*, *Chmielecii*, *Lascii*, *Potocii*. Atq; ita Consueruatorem Patriæ Zołkieuium, vt Themistoclem, nec Milciadis calamitas, nec Aristidis exemplum, deterruit; ita hunc, nec Filii vnici *Ioannis Zołkieuii* solitudo, nec Nepotis Fraterni militaris fortuna *Lucæ Zołkiewski*, post fraternum Catoniano in Africâ Vticensi non absimile fatum, *Adami Zołkiewsky* Castrorum Præfecti, nec eius ipsius virtutis inuidorū obtrectatio, post illos Moschouiticos triumphos, ab Reipublicæ eum conseruatione vnquam depulerunt. Annibalem equidem sui ciues è ciuitate eiecerunt; *Vladislaus Tertius* Rex Poloniæ & Hungariæ, non in Regum suorum sepulchro, sed ad *Warnam*, aduersùs *Amuratem* Turcarum Tyrannum dimicans occubuit. Cui Epithaphio Patrio Maro Polonus *Ioannes Kochanouius* sic parentauit;

Krol dwu Koron Władisław. Iego poświecone
Nieśą kości w Cyczyśtym grobie położone.

Grob

Grob iego, iest Ewropa: słup, śnieżne Bałchany:
Napis, wieczna pamiątka miedzy Chrześciany.

Sanè & tumulus in spæricū collem aggestus (*Mogiła*) illo in campo Martio sui pro Republicâ occasûs dicetur gloriosè *Mohiła Zołkieuii*: & verò dicitur, æternumq; tenet, & teneat per sæcula nomen. Exstat certè & præsaga eiusdem Zołkieuii istius sui pro Republicâ occasûs Epistola, Barro ex Poloniâ data ad Consortem *Reginam de Herburtis Zołkieuiam* Regni Cancellariam. Recito Polono sermone, Polonum in Rempublicam animum eiusdem; *Jeśli w Wołoszech, albo gdzie za granicą, śmierc Pan Bog przyśle, na odwazną Rzeczy Pospolitey służbe* &c. *Synu moy, Ianie Zołkiewsky, y ty iedżieś zemną na te odwage, Mogiłe wysoką vsypać: nie dla ambiciey iakiey tak mieć chce, ale żeby grob moy, był kopcem Rzeczy pospolitey granic; żeby sie potomny wiek wzbudzał, do pomnozenia y rozszerzenia Panstw granic Rzeczy Pospolitey.* Ita noster Zołkieuius, Craci & Vendæ tumulis, simillimam sui & suorum secum habere voluit memoriam, aggestu terræ ab cælo semisphæralis. Atq; ita in vno Zołkieuio, & ex eius exemplo, inuenire est Brutos, Camillos, Curios, Fabios, Scipiones, Æmilios Sarmatarum Polonicos, quos ego, & Respublicâ mecum, in Virorum immortalium cœtu ac numero repono. Zołkieuianum semper fuit, ad illa Diuina & immortalia, exemplo, opibus, sanguine, vitæ dispendio, præire: qualia sunt: *Amemus Patriam, pareamus Regiæ Maiestati, tueamur Ecclesiam, priuatas præcellentias negligamus, æternitatis gloriæ seruiamus, quod acciderit feramus*: *cogitemus deniq;, corpus virorum fortium magnorumq; hominum etiam esse mortale, animi verò & virtutis Christianæ Catholicæ gloriam fore sempiternam.* Sed me in orationis meæ ductu reprimit calamitatis cuiusdā, tali pro Republicâ occasu, Zołkieuianæ virtutis inuidorum obiectio. Quid agitis Zoili? Videmus (aiunt,) Zołkieuiū non in suâ domo, ac lectisternio Senatorio occubuisse. Ego verò Imperatoriū istud fuisse, esse, & fore semper didici, exemplis quà Ethnicorū, quà Christianorū Principū; *Imperatorē in bello, non domi emori oportere.* Si *Boleslaus Audax* Rex Poloniæ expugnatâ Metropoli Russicorū Monarcharū, ibidē in campo Martio Kiouiensium ocubuisset; ille verò egregiè bellicosissimus occubuisset. Expugnatâ, occupatâ, possessâ Metropoli Moschorū ab Zołkieuio; Zołkieuium post tot alia pro Republicâ superata fortia, in oppugnandâ Turciâ & Tartariâ, mirabitur quispiā, cauillabiturq; occubuisse? An non Hungariæ Rex *Ludouicus* ad Mohacziū, contra Barbaros eosdē occubuit? At & *Vladislaus III.* Polonorū & Hungarorū Rex Christianissim⁹ contra *Amuratem* Turcarū Tyrannū occubuit bello ad *Warnā*, seu Dionysiopolim. At, & *Henrici Barbati* Poloniæ & Bohemiæ filius, & Sanctæ Heduigis, pro Religione Christianâ contra Tartaros occumbens, etiā Martyris audit nomine. Quid *Constantin⁹ Duca* Bizantin⁹ Christianorū Imperator extrem⁹, an non in

I portâ

portâ Constantinopolitanæ vrbis oppugnatæ, & tunc expugnatæ, ab Sarracenis Machometanisq́; cæsus est? & ab eius casu, imperium Orientis amisit Christianitas. At & *Sebastianus* postremus Lusitaniæ Rex, Africæ campos & ipse suo sanguine, & tot Lusitanorum virorum multitudine occumbentium cruentauit? qui diu aliquandò meditabundus cùm hæsisset, rogatus, quid mentis fuisset seriæ? Rex, *De Africâ*, inquit, *cùm mihi per ætatem licuerit, sub iugum mittendâ meditabar.* Sed adhuc vrgemur. Filii *Ioannis Zolkieuii* Capitanei Hrubieszowiensis, apud Scythas ex eo bello seruitus opponitur? Ista verò decora sunt Zolkieuianæ in Patriam & Christianitatem pietatis. Vt, quam Patriam Pater non semel seruauerat difficillimis Reipublicæ temporibus, eandem vel suâ calamitate Filius seruandam edisceret. Ego equidem lubens etiam ex vulneribus pro Republicâ claudicâsse Ioannem Zolkieuium non negabo: sed tot triumphos, quot gradus gressusue subsidentes, & apud Romanos honori fuisse, læsis eiusmodi nouerimus. At, & ex Fratre Nepos, *Lucas Zolkiewsky* Capitaneus *Kalusiensis*, pro isto in Rempublicam animo, pro Schismate Græcanico in Kozacis oppugnato, pro Gustauo Hæretico in Prussiâ cum cæteris fugato sæpiùs, ad eosdem Barbaros, tùm in Pontum Euxinum abductus? Ita sanè. Nostrorum sed discordiâ; non hostium immanissimâ licet potentiâ factum accidisse, permitto. At Gener, Turciam eo Zolkieuii occasu, captiuus adiit? Fuerit verò, ista illius discordiæ nostrorum procella. At idem ille, in Patriam redux, an non formidabilem se exhibet Kozacis, Suecis, Moschis, ipsis ad Kamenecũ Turcis? Profectò non temerè ei voto quispiam cecinit; *Optandũ illud, vt ibi esset terminus Regni Poloniæ, ex vi cognominis, per vbi Koniecpolscii exercituum Ducis constitisset.* Quod & fieri propè videmus; dùm vbi deserti campi fuerant, ibi municipia Koniecpolsciana sub Tartarorum Oczakouias augeri audimus colonias. Sed quid ego dissimulo? Quanquam non dissimulo, imò profiteor, præter hos, quos commemoraui, etiam Nepotem ex Filiâ Zolkieuii *Stanislaum Danilouicz*, Hæredem in Olesko & Zolkiew, Palatinidem Russiæ, Capitaneum Korsunensem, Auitæ pro Republicâ deuotionis exemplo, & in Prussiâ contra Suecos, & in Moschouiâ contra Schisma Græcanicum, & in extremâ Kiiouiensium Thule (Vkrainam vocamus) contra Tartaros, imitatorem fieri æmulumq́; victoriarum, illi cordi fuisse: iterq́; compendiosissimum ad immortalitatis Lauream, pro Republicâ, & fide Christianâ, in campo Martio, vel in Barbarorum seruitute emori, porrectò etiam iugulo, ad exemplar Martyrum, elegisse: voti tandem compotem factum, viuere desiisse. Dolendum hoc, defugiendumq́; aliis, execrandumq́; videatur? At *Ludouicus* Galliarum Rex, eius nominis Nonus, Anno 1248, adnitente Pontifice Romano, apparentibus à cælo, seu æthere, tribus crucibus, *Odone* Legato Pontificio adsistente expedi-

tioni

tioni in Turciæ Palæstinam, ad Sepulchrum Christi, Terramq́; Sanctam ab Turcicâ tyrannide vindicandam; *Ludouicus* (inquam) Rex Francorum Sanctissimus, assumptis Fratribus duobus, *Aplhonso*, & *Carolo*; nec non & Filiis suis, cum exercitu triginta millium; adscito in societatem belli Rege Cyprorum, & Armeniorum, & Siculorum, multis præclarè factis ibidem, tandem vix sex millibus superstitibus suorum, cum residuis in seruitutem Sarracenorum venit? non nisi æquis conditionibus ex eâdem emancipatus. Idem nihilominùs iteratò, Anno 1270, capularis iam senex, in discrimen belli eiusdem profectus, sumptis secum Filiis grandioribus tribus, *Philippo*, *Ioanne*, *Petro*, & Filiâ, (quod miretur Christianitas) natu maximâ, comite rege Nauarræ; vix quarto Filiolo, posteritatis ergò, tenello in Regno Galliarum relicto: rebus in Palæstinâ, non vt in votis fuerat, euenientibus, pestilentiæ contagione militaris cum seniore Filio in Barbarorum terrâ emortuus. Quid nobis? dolendumne, defugiendum, execrandumq́; eiusmodi internecionis & seruitutis fatum videbitur, etiam in Ludouico Nono Gallorum Rege zelantissimo libertatis Christianæ, & Sanctissimo Principe? Quid Rex Sanctus Angliæ *Osualdus*, quintâ Augusti quem lego in sacris Surii Historiis cæsum, sub Annum 652, ab Britonibus; eiusq́; dexteram pro fide bellantem, vnà cum capite, loco infami suspensam, annum integrum integrè perdurâsse Non dissimile fatum *Sancti Edmundi* Regis Angliæ olim. Ab *Iugaro* Rege Daniæ in seruitutem compulsus, flagris mulctatus, scopus sagittariorum alligatus, capite demùm truncatus: feris abiectum caput, trunco corporis tandem post restitutũ, narratur suâ se voce requirentibus denunciâsse. Atq́; hæc etiam de Sanctis leguntur, Patriæ, Christianitatisq́; propugnatoribus. Maneat igitr miserũ videri alicui exturbari fortunis omnibus: sed pro Republicâ Christianâ pati fortunarũ discrimen, miserũ non est. Gloriosum est in togâ emori; gloriosiùs in sago pro suorũ incolumitate. Laudabile est, rei domesticæ pati iacturam; laudabiliùs sua præsidia Patriæ impendisse. Superstitem ad focum Patriæ Filium decorũ est reliquisse; at magis decorum, eundem pro Republicâ discrimini obtulisse. Extraneos ad Rempub. tuendã euocare, at sui præclarum est; sanguinis Nepotes, ad Reipub. salutẽ seruandã Patriæ donare, præclariùs est: Memorabile est, vnũ cuiuspiã Familiæ, Reipub. operã impendere; memorabiliùs, exemplo *Aui* & *Auunculorũ*, ad eiusdem Reipub. gloriam sese deuouisse. Agere, pati fortia, Romanum fuerat: fuerat & Zolkieuianum semper. Circumueniri, iugulari, emori, nec Martyribus, nec Imperatoribus belli, pro Deo, & Patriâ, calamitosum; imò gloriosum. Fortunarum, corporis, famæ, sanguinis, vitæ, iuguli, discrimen subire; eorum est, qui virtutem, Patriam, Religionem, Ciuiũ salutẽ, nominis memoriã cum immortalitate adæquãdã susceperunt. Eiusmodi soli sapientes, honesti, rectiq́; amantes. Ad Martyrũ honorẽ, eiusmodi accedunt: illis Laureæ pullulant; Coronæ;

imò

imò iis Laureta succrescunt. Hos triumphales rhedæ, sellæ curules, trabeæ, paludamenta, & id genus, virtutis honestamenta, in omnem manent perpetuitatem. Atq;hic ego, hocce in *Laureto Zolkieuiano*, Virtutis Christianæ domicilio, Integritatis Prythaneo, Sapientiæ Atheneo, Catholici Martyrii theatro, Imperatoriæ virtutis, fortitudinisq; bellicæ campo Martio, *Stanislaum Zolkiewium* exercituum Ducem, & Cancellarium Regni, primo Palatinum Kiiowiensem, Barensem, Kamionacens. Iaworowiens. Capitaneum; eiusdemq; *Filium Ioannem Zolkiewsky*, Kalusiens. Hrubieszowien. Capitaneũ; hic Nepotẽ ex Fratre, *Lucam Zolkiewsky* Palatinũ Braslawiensem, Kalusiens. Chmielnicens. Pereaslawiens. Capitaneũ. (vtinàm eiusdem & Vterinum Fratrem, Catoniano occasu collapsum hìc haberem° *Adamum Zolkiewsky*, castrorũ metandorũ seruandorũq; Præfectum!) hìc *Stanislaum Danilowicz* Palatinidem Russiæ, Capitaneum Korsunens. supra ætatem, Alexandri & Pompeii genio, post Suecorum, Moschorum, & Tartarorum oppugnationes, redintegratis toties præliis bellicosum pugnatorem; in Laureto isto sacro depono. Laureatos singulos, & in omnem posteritatis memoriam, pro tantâ sui in Rempublicam, Patriamq; Polonam deuotione Martiâ Laureandos. Etiam adiungo *Reginam de Herburtis Zolkiewiam* Cancellariam, Ducis exercituum Consortem; vnà cum *Zophiâ de Zolkieuiis Danilowiciâ*, Palatinâ Russiæ. Hic pietas, hic prisca fides, hic inuictaq; bello virtus Zolkieuia parte suæ mortalitatis requescit. Do Lauros manibus, do lilia plenis. Purpureas dedistis cælo animas: purpureos & ego, Patriaq; vobis spargit flores; animasq; vestrî beatas accumulo Basilicæ à vobis extructæ, erectæ, fundatæ: donis, & fungor honesto munere, Pios Manes vestros prosequendi officio. In Barbarorum terris seruientes, occumbentes, pro Republicâ æternam famam, AVVS, FILIVS, NEPOS, & NEPOTES, dedistis. Et verò, Dux Magne, Fili Magne, Nepotes Magni dedistis. *Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo. Macte pari virtute Viri; sic itur ad astra, vestigiis vestris per castra. Quæ vobis, quæ digna Viri, pro talibus ausis, præmia posse rear solui? non erit immemor vnquam Patria istius meriti vestri.* At heu Patriæ desiderium! *Ostendent terris, vos, tantùm fata, neq; vltra esse sinent. Equidem superstitibus corporibus, nunquam fuistis Polonorum Regno indecores: nec vestra feretur fama leuis, tantiq; abolescet in Rempublicam, & Christianitatem, vestri gratia facti: nec vos ob Patriam & fidem bellis cecidisse pigebit.* O Diuinam Gentem Zolkieuiam! ita sui sanguinis, pro Deo, & Republicâ, prodigam; in Scythicis & Turcicis occumbere campis, ita cupidam! Nec capti potuêre capi: medias acies, mediosq; per hostes in Liuoniâ, in Prussiâ, in Tartariâ, in Valachiâ, in Moldauiâ, in Turciâ, inuenêre viam suæ, & Reipublicæ saluti, ac gloriæ. Quid Syrtes, quid Scylla viris, quid vasta Charybdis, obfuit? Vtinam pari vale-

ri valetudine, ab Ponto Euxino redux *Ioannes Zolkieuius* Capitaneus Hrubieszouiens. superuixisset, Filius Stanislai Zolkieuii Ducis! quâ, aut *Lucas Zolkiewsky* Capitaneus Calusiens. ex eâdem Scythiâ; aut quâ, ex Turciâ postliminio Martio reuersus *Stanislaus Koniecpolsky* Castellanus Cracouiens. Dux Regni exercituum superstes. Certè vt *Stanislaus Zolkiewsky* Heros fuit eximio Patriæ defendendæ, propugnandæ, amplificandæ, succensus amore: ita cum Parente suo Bellator, cum paribus in seruitute speculator, in ipsa viscera Tartariæ Europeæ & Asiaticæ duxisset phalanges, Deo Optimo Maximo in vota vocato, victrices Aquilas Polonorum. Sed non Tartaricæ medicari cuspidis ictum eualuit quispiam Machaon. O famâ ingens, ingentior armis Dux Polone Zolkieui! quibus cælo te laudibus æquê? occasumne priùs mirer, belline labores? Insultauerit *Osman* Turcarum Imperii Tyrannus capiti tuo Christianissimo & bellicosissimo; Valachiam metire iacens, hæc præmia, qui Turcam ferro ausi tentare, ferant. At non hæc Osmanicis furiis, non Marte magistro Machometico euenêre. Maior egit maiora quædam Deus: quippè ad immortalitatis & gloriam & memoriam remittimur Christiani, ob Patriam, & fidem, pugnando, bellando, vulnera & funera passi. Equidem Stanislaum Zolkieuium *vicies tricies præliando* pro Christianitate, victorem, in suo isto *Laureto* Lauretanaq; Diuorum LAVRENTII & STANISLAI Martyrum Basilicâ, Apostolicis Diplomatum Benedictionibus Pontifices Maximi Romani honestauêre. Imperatorum Romanorum Fraternæ Maiestates sensêre. Serenissimi Reges Poloniæ, *Sigismundus III*, Anno 1621. & *Vladislaus Quartus* Anno, 1634 dilexêre; vel vitâ pro Repub. functum, in suâ municipali Zolkieuiensii Arce, Vrbe, & (de quâ sermo est) Basilicâ quiescentem parte suæ mortalitatis, visitauêre. Quod reliquum est; æternam vestri nominis Zolkieuiani memoriam, & Patria Regni Poloniæ carissima, & istius Basilicæ Laurentianæ & Stanislainæ *LAVRETVM* Sanctissimum; & Societas IESV Religiosissima, quà Barum inducta, quà Leopoli firmata, quà Pereaslauiæ plantata; Pallados, & Bellonæ Viros Zolkieuios, nullâ vnquam temporum iniuriâ conticescet: sed sempiterno æuo virtutem Zolkieuiam Lechia vniuersa desiderabit in Regno Poloniæ propagari. FIAT.

EPITAPHIA
Zolkieuianæ Memoriæ.

In sublimi colle sparicè aggesto Zolkieuianæ memoriæ, pro Patriâ, & fide occumbenti, in Valachiâ, trans Tyram.

COLOSSVS

K Deo

Deo Trino & Vni.

Hospes. Si Christianus hûc accedis; pro Christi fide interempto vota non denega: si Paganus venis; Lapidi nè inuideas locum.

Quisquis ades: Quàm dulce & decorum sit, pro Patriâ mori Ex me disce

STANISLAVS in Zołkiew ZOLKIEWSKY, Regni Poloniæ Cancellarius, & exercituum Dux Supremus: Barensis, Kamionacensis, Iaworouiensis, Capitaneus: post reportatas de Kozacis rebellibus, ac de Tartaris victorias; post actos subiugatâ Moschouiâ triumphos; Req; publicâ Polonâ, quà pace, quà bello præclarè gubernatâ, fortiter cum Tartaris dimicando

HIC OCCVBVIT.

Vos meo sanguine conspersi campi, debitæ meæ in Deum & Patriam pietatis, fideles perenni memoriæ estote testes.

Anno Domini M. DC. XX. Octob. VI.

DEO OPT. MAX.

STANISLAVS in *Zołkiew ZOLKIEWSKY*, Cancellari⁹ Regni Poloniæ, & exercituũ Dux Suprem⁹; Baren. Iaworow. Capit.

Kozacis rebellibus debellatis,

Tartaris ad Vdyczum profligatis,

Moschorum Tyranno capto, & eorum Monarchiâ domitâ; cùm victor ac triumphator orbi terrarum clarescerct, nè & in cælis triumphali pompâ, & victrici coronâ careret; In Moldauiâ ad Tyram cum Tartaris fortiter dimicando

PRO FIDE CHRISTI, ET PATRIA,

SACRA VICTIMA OCCVBVIT

Anno reparatæ salutis M. DC. XX. Octob. VI. Ætatis suæ LXV.

Truncus eius, publico luctu, domesticis penatibus illatus: & caput Bizantii Barbarorum insolentiæ expositum, magnaq; postea Mæstissimæ Coniugis curâ inde reportatum, in hoc teguntur tumulo.

Tibi Hostis ad terrorem. Tibi Hospes ad exemplum.

D O M

JOANNES ZOLKIEWSKY

Hrubiesżouien. Iaworowien. Kałusz. Capitaneus.

Magni

Magni Patris ad magna natus Filius vnicus, Virtutis ac Gloriæ eius vbiq;, dùm per ætatem licuit, comes.

In eo prælio, quo *Pater* occubit, à Tartaris captus, ac postliminiò reuersus, (fortunâ in rebus humanis ludente.) inter ipsas Patriæ, & eius spes, ab votis, oculisq; omnium præpropero fato ereptus.

Ætatis suæ florem, in eam, quæ nunquam marcescit, cælestem Gloriam magno lucro commutauit.

A. Dñi, *M. DC. XXXIII. April.* 26. *Ætatis suæ XXVIII.*

Quos mors separauerat; idem nunc, Patrem & Filium tegit Lapis. Hunc lachrymis conspersũ Vnica Filia ZOPHIA, Coniunx IOANNIS DANIŁOWICZ Palatini Russiæ, tanquàm perpetuum suæ in PATREM pietatis, & in FRATREM Amoris, æternoq; dolori Dicatum, MONVMENTVM mæsta posuit.

D. O. M.

REGINA DE FVLSZTYN

Stanislai Zołkiewsky, Regni Poloniæ Cancellarii, & exercituum Ducis Supremi CONIVNX.

Insigni pietate, Deo & hominibus conspicua: secundæ Mariti fortunæ, & domesticarum postea calamitatum superstes: in prosperis animi moderatione; in aduersis fortitudine sexum superans; Magna vbiq; Heroina.

Relictis posteritati Matronalium Virtutum præclaris exemplis; Spiritum, vndè acceperat, reddidit. Anno Dñi. M.D.C. XXIIII. Die VI. Nouembris. Aetatis suæ LX.

Corpus in his Sacris Ædibus, quarum (vt vides hospes) splendorem, curâ, & sumptu suo plurimùm auxit Vnica illus Filia Hæres, *Zophia in Zołkiew Daniłowiczowa*, Terrarum Russiæ Palatina, magno luctu, & debitâ in PARENTEM pietate condidit.

D. O. M.

ZOPHIA in Zołkiew, Magni Cancellarii, exercitusq; Supremi Ducis, Stanislai Zołkiewsky, & Reginæ Herburtouiæ Filia: *Ioannis* de Olesko *Daniłowicz*, Palatini Russiæ CONIVNX. Religione, Pietate, Modestiâ, rebusq; in agendis constanti & æquabili prædita Prudentiâ: Matronalis Pudicitiæ, & virtutis exemplar; egentium pupillorum Bona Mater & Patrona; Exuuias mortalitatis hic deposuit, & immortalitatis Gloriam, beatâ in spe Resurrectionis hìc expectat.

Vixerat

Vixerat Annos ſupra xxxiv. Obiit anno M. DC. XXXIV.
XIII Kalend Septembr. Filius *Stanislaus Danilowicz.*
Deſideratiſſimæ Parenti, hoc poſuit M.

Oſſa STANISLAI à Zurow, in Oleſko, DANIŁOWICZ.
Terrarũ Ruſſiæ Palatinid. Præfecti Korſunen. hæc capit vrna.

Ingentem illum animum, ſummaſq; virtutes in ſuo condidit ſinu perennis fama.
Pueritiam nutriebant liberales artes: Adoleſcentiam expoliuit variarum Gentium ſolum: Iuuentutem erudiuit SIGISMVNDI III. Aula
In rebus verò bellicis Spiritum, Induſtriam, ac Fortunam, ſenſit ad Smolenſkum Moſchus; vidit admirabundus VLADISLAVS IV.
Neq; hîc ſubſtitit magni ardor animi. Dùm Auiti Sanguinis vltor, & rerum ab eo geſtarum ſatagit eſſe imitator, fit & eiuſdem fati æmulus.
Fortiter cum Tartaris dimicando, ab his captus, & *Kantimiri,* execrabili apud Barbaros etiam, mandato, in vinculis mactatus, *Tutimri* manibus: quem Pater (nè quid ad ſummum crudelitatis faſtigiũ deeſſet, ex filio eſſe voluit ſicariũ)

INNOCENS,
Glorioſa tamen, memorabilis in Religionem & Patriam Pietatis.
CECIDIT VICTIMA
Anno Dni. M. DC. XXX VI Ætatis ſuæ XXII,

D. O. M.

Super Te quoq; Pronepotem Zolkieuii, Cancellarii & Exercituũ Ducis; Nepotem Illuſtriſſimi Ioannis Danilouicz Palatini Ruſſiæ; FILIVM Illuſtriſſimi IACOBI SOBIESKI & THEOPHILÆ in Zolkiew Palatin. Belzen. Kraſn. Iauor. Capit.
O STANISLAE SOBIESKY Palatinule Belzenſis
Die Palmarum natum, ipſo die viſitantis Eliſabetham Virginis, denatum terris; ætate trimeſtrem; Baptiſmate Chriſtianum; innocentiâ Angelum. cælo donatum

Purpurei ſparſi flores, manibus data lilia plenis.

Ab MARCO & IOANNE SOBIESKI Fratribus,
Ab CATHARINA & ANNA Sororibus ſuperſtitibus.

In Officinâ Typographicâ Academiæ Zamoſcenſis.

Imprimebat, Alexander Pawłowicz.